# MATRICULA
## *ILLVSTRISSIMI*
## COLLEGII NOBILIVM
### VULGO DELLA
# MERCANZIA
## AUGUSTÆ PERUSIÆ

*EDITA*

*Anno Domini MDCCIV.*

Bibliot. Coll. Rom. Soc. Iesu




BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUEL

PERUSIÆ MDCCIV.

APUD CONSTANTINUM

*SVPERIORVM PERMISSV.*

Digitized by Google

Digitized by Google

PETRVS ANT.vs DE MONALDIS MARCHIO MILIANI
DIONYSIVS DE CRISPOLTIS
MARCVS ANT.vs DE FLORENTIIS MARCHIO RASINÆ

CONSVLES

# Reliquis Collegis Nobilibus Viris S.

V*obis, Collegæ Ornatiſſimi, inſcriptas volumus Leges univerſas, quæ ad regimen Collegii ſpectant, olim per majores noſtros ſapienter latas, vobis modò adhortantibus in lucem editas; ut teſtatum penes animos veſtros relinquamus quanti ſint ponderis apud nos vota veſtra, & conſilia. Extat quidem certè illarum codex eleganter exaratus, ſed unus dumtaxat, iſque velut in abdito aſſervatus, nec*

*ſem-*

Digitized by Google

*ſemper opportunus, nec ubique obvius; multis præterea fortunæ caſibus obnoxius: adeò ut ſi quid fortè de eo accidiſſet (ut omnia orta occidunt) futurum facilè fuiſſet ut deperditis* Sanctionibus, *quibus in officio continemur, firmitas omnis Collegii everteretur. Nunc itaque hoc veluti Reipublicæ noſtræ Ancile, typorum beneficio unum & multiplex, ſingulatim in manus veſtras involabit: & perennitatis certiſſimum, fortunæ cuiusvis ſecurum, Laribus veſtris ſe ſe committet etiam ad poſteros traſmittendum, ut vel domi pateat quid cuique præſtandum ſit in Senatu. Vos libenti animo excipite quod veſtrum omnino eſt: animoſque noſtros veſtrorum commodorum ſtudioſiſſimos boni conſulite, & valete. Idibus Novembr. MDCCIV.*

IN

# IN NOMINE SANCTISSIMAE
# TRINITATIS
## PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SANCTI
## AMEN.

HÆc eſt nova Matricula Per Illuſtris Artis Mercantiæ Auguſtæ Civitatis Peruſiæ denuo facta, & congeſta ex ordine generalis Adunantiæ dictæ Artis per Admodum Illuſtres D. Laurentium Montemelinum, & D. Fabritium dè Signorellis Nobiles Peruſinos dictę Artis Juratos ad hæc ſpecialiter electos, & Deputatos in vim dictæ Generalis Adunantiæ continens in sè Leges, & Conſtitutiones Statuta, & Decreta ſpectantia, & pertinentia non ſolum ad bonum regimen, & curam dictæ Artis; verum etiam ad ejus ſollicitam in alios exercendam juriſdictionem, perfecta, completa tempore feliciſſimi Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. CLEMENTIS VIII. Divina Favente Clementia, Pontificis Optimi Maximi ſub Anno à Nativitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo Nono, Indictione XII. in primo ejuſdem Anni Semeſtri.

### *De neceſſaria Matriculæ refectione*

### RUBRICA I.

QUia Homo eſt animal ſociabile, & ea conditione à Deo Optimo Maximo rerum omnium Opifice factus, & erectus, ut ex ſe ſolus, ſicut cætera animantia vivere nequaquam poſſit, nam hominem homini natum eſſe ſcimus, & ab humanitate in alios exercenda dictum. Id circo commercia, univerſitates, congregationes, ſocietates, Collegia, & ſimiles hominum adunantias aliis nominibus etiam nuncupatas adinventas eſſe comperimus, nam ut ait Cicero, homines nati ſunt ad Congregationem hominum, ſine quibus Congregationibus, & Adu-



Digitized by Google

nantiis Civitas qu æque omni ornatu, & ſplendore careret. Quò circa non niſi ſumma cum ratione in hac Auguſta Peruſina Civitate Laicorum Adunantias, Artes nuncupatas, antiquitus inſtitutas, non ſolum pro Reipublicæ Peruſinæ Manutentione, & Gubernio, verum etiam pro eius Magnificentia, & decore eſſe credimus, inter quas Mercatorum Ars pro capite omnium aliarum Artium poſita fuit, quæ, & in Publicis Muneribus obeundis, Magiſtratibuſque exercendis ſemper primum obtinuit locum; Et non immerito, nam antiquitus, & ſemper in ea Principaliores huius Peruſinæ Urbis Proceres, Nobiles, & Cives deſcriptos eſſe legitur, & hac noſtra tempeſtate idem ſervatum eſſe, & ſervari intuemur. Et quoniam rationi conſonum eſt, omnem Congregationem, & Artem, in qua plures conſocii ſub uno conſocietatis numero, ac juramenti vinculo colliguntur, nonnullis eſſe munitam, & rectam Legibus, ac Statutis, quorum condendi auctoritas, & facultas ipſis met de jure tributa venit; Ideo ampliſſima hęc, & Nobiliſſima Mercatorum Congregatio, & Ars Semper ſuas habuit Conſtitutiones, & Leges, quæ tam pro ejus cura gerenda, quam pro ejus ſolita in alios juriſdictione exercenda factę, & editæ fuerunt. Sed quoniam pro parte in diverſis Libris apud Tabellionum acta ſparſim, & confuſe, & pro parte in antiquioribus ſcriptis à temporum diuturnitate, & injuria devaſtatis, & collapſis vix leguntur, propter quod in modicum temporis ſpacium non ſolum earum uſus, verum etiam memoria peritura erat. Quod non ſolum in ipſius Artis dedecus, & præjudicium, verum etiam in Populi Peruſini detrimentum, & jacturam redundaret; Ideo ad novam dictarum Legum congeſtionem, & ad modernum illarum uſum reductionem, reſecatis, quæ jam in deſuetudinem abierunt, & auctis, quæ augenda ſecundum temporis exigentiam erant, devenire per quam neceſſarium erat; Et propterea Generalis Per Illuſtr. DD. Artis jam dictæ Juratorum Adunantia poſt multa Colloquia ſuper prædictis habita, ad decus, & honorem hujus ampliſſimi Ordinis, & Artis, & pro Majori omnium utilitate, & comoditate ea omnia denovo fieri, refici, & congeri decrevit, & in hoc novo Codice, nova Matricula vulgariter dicta, inſimul deſcribi voluit. Quod omne multo cum labore feliciter cæptum, proſequutum, & perfectum fuit, cura, induſtria, & diligentia Per Illuſtrium Virorum D. Laurentii à Montemelino, & D. Fabritii à Signorellis Nobilium Peruſinorum hujus Nobiliſſimæ Artis Juratorum ad hæc ſpecialiter Electorum, & Deputatorum per Illuſtres D. Joannem Baptiſtam de Ubaldis, & Hyeronimum Monteſperellum pariter

No-

Nobiles Peruſinos ejuſdem Artis Juratos, Conſules, & Rectores in vim facultatis, & auctoritatis eis conceſſæ à publica, & Generali Adunantia DD. Juratorum Artis dictæ. Quod opus per præfatos DD. Electos cæptum fuit tempore prædictorum DD: Conſulum, & Illuſtris D. Cornelii Oddi pariter eiuſdem Artis Jurati eis poſtmodum ad Officium Conſulatus in Collegam dati, & denique completum, & perfectum tempore Conſulatus Per Illuſtrium D. D. Jacobi Nonii, Cap. Caroli à Pinna, & D. Anaſtaſii de Anaſtaſiis prædictis in Conſulatus officio ſucceſſorum: Quod omne exoptatur eſſe ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ejuſque Sanctiſſimæ Genitricis Mariæ ſemper Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Beatorum Martyrum Laurentii, Herculani, & Conſtantii, & Chriſti Confeſſoris Bernardini de Senis Protectorum, & Tutelariorũ hujus Almæ Urbis, & Sanctorum, ac Sanctarum omnium Cœleſtis Curiæ; Et etiam ad ornamentum, & decus Peruſinæ Reipublicæ, & Populi, & ad Magnificentiam, conſervationem, honorem, & utilitatem dictæ eorum Artis Amen.

## *De Officio D. D. Conſulum Mercantiæ.*

## RUBRICA II.

SApientiſſimus ille Salamon dicere ſolebat, Ubi non eſt Gubernator diſſipabitur multitudo, quæ ſub uno protegatur regimine conſiſtere nequaquam poteſt. Idcirco unaquęque Ars ſeù Congregatio, ſuos habere Rectores rationi Conſonum eſt, qui ſubdiverſis nuncupantur nominibus, Mercatorum autem Rectores ubique locorum Conſules appellantur, quaſi proprium, & particulare ſit hujus ingenuæ Artis Nobiliſſimo hoc Magiſtratus genere decorari. Et Ideo Ars Mercantiæ in hac Peruſina Urbe ſemper conſuevit quatuor habere Conſules, qui hac noſtra ætate eliguntur per DD: Refectores, ut vulgo dicitur Inſaculatores omnium officiorum ipſius Civitatis, per quos ſingulo triennio omnium Magiſtratuum, & quorumcumque officiorum Civitatis ejuſdem Sacculus refici ſolet juxta Statuta, & ordinationes, tam dictę Civitatis, qui Conſules ſic, vel alias juxta Conſtitutiones, & ordinamenta d. Artis electi, & in unoquoque ſemeſtre publicati, ſivè ſubrogati, durante eorum ſemeſtrali officio ſunt non ſolum Rectores, & Gubernatores dictæ Artis, & omnium, & quorumcumque Bonorum ipſius, & ſunt Caput totius Senatus, & Conſilii hujus Auguſtæ Civitatis, Verum etiam ampliſſimam habent juriſdictionem in jure unicuique reddendo, prout in ſequentibus Statutis, & Conſtitutionibus apparebit.

## *De Numero DD. Conſulum Mercantiæ*

## RUBRICA III.

PEr quatuor Conſules, ſcilicet duos conſtitutos, & duos in futurum deſignatos regebatur Romana Reſpublica; Et per quatuor Conſules ſemper recta, & gubernata fuit Ars Mercantiæ hujus Auguſtæ Civitatis Peruſinæ; Ideo hoc preſenti Capitulo antiquorum ſectamenta amplectentes, numerum D D: Conſulum Artis prædictæ quatuor eſſe declaramus, & ſemper per quatuor Conſules Ars prædicta regi decernimus.

## *De Iuramento præſtando D D: Conſulibus in Principio eorum Officii.*

## RUBRICA IV.

QUia duo vincula magis ſtringunt, quam unum; Et ut cum ſtimulo honoris bene exercendi Illuſtre Officium Conſulatus, adſit etiam ſtimulus propriæ conſcientiæ; Hoc opportuno remedio providendo decernimus, quod Conſules Mercantiæ antea quam terminet eorum officium, & poſt publicationem eorum ſucceſſorum, ſucceſſores ipſos vocari faciant in Audientia Artis prædictæ, eoſque informent in quibus terminis ab eis relinquitur officium Conſulatus, & publica Civitatis, & Artis Negocia reperiuntur; Quo facto curent quod ipſi D D: Conſules eorũ ſucceſſores jurent, & jure jurando ipſis promittant officium ipſorum exercere bene, ſollicitè, & diligenter, & eo durante non ſe abſentare à Civitate Peruſiæ, & quatenus aliquis ſe abſentare voluerit, licentiam petat, & obtineat à Colleghis, ſine qua ſe abſentare non debeat, inviolabiliter ſervantes, quod ſemper duo ipſorum in Civitate permaneant, ad hoc, ut in Conſiliis, publicis, in Negociis Artis, & in jure reddendo ſemper duo Conſules ad minus intereſſe debeant, oculos intendant, quod D. Prior Artis ſit ſolicitus, & diligens in munere ſuo exequendo, juſtitiam in jure reddendo unicuique petenti æqua lance adminiſtrent, & quia ſub humeris eorum (ipſorum durante officio) Ars tota, illiuſque Magnificentia, honor, & dignitas requieſcit; omnia alia faciant, gerant, & curent, quæ ipſorum quoquo modo tangunt officium, & ipſi tenentur tum uti boni Artis Jurati, tum etiam uti illius Principes, & Rectores, ad hoc ut opera eorum laudentur ab Arte; & à ſucceſſoribus eorum ſectamenta ſequantur; Quibus peractis, vel eadem die, vel in ultima die terminationis eorum

officii Veteres D D: Conſules novis D D: Conſulibus eorum ſucceſſoribus claves officiorum, & Sanctiſſimi Anuli Sacratiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, vel alias publicas claves ſub eorum cura repoſitas conſignare debebunt. Quæ omnia exequenda erunt per rogitum Notariorum Artis Noſtræ in Libris Noſtris deſcribendũ ad perpetuam rei memoriam.

## *De Obedientia preſtanda D D: Conſulibuſ.*

### RUBRICA V.

SCriptum eſt, obedite præpoſitis veſtris, melius eſt enim obedire, quam ſacrificare. Vere quidem, & obedientia, & honore dignum eſt officium Conſulatus Artis Mercantiæ; Et ideo bene providendo ordinamus, quod Prior, omnes Jurati, Conſultores, Sindicus, ſivè Procurator, & Notarii Artis Mercantiæ debeant ad Magnificentiam, & dignitatem officii Conſulatus, & D D: Conſulum in eo præſidentium omnem honorem, & obedientiam figere, & locare, Mandatiſque ipſorum parere, & nullum officii, & ſtudii genus in eos honeſtando, & obſequendo juſtæ voluntati eorum prætermittere: Qui autem tantæ indiſcretionis fuerit, qui huic Sanctioni contravenerit, pœnam D D: Conſulibus beneviſam ſe noverit incurriſſe.

## *Quod ſemper duo Conſules in Civitate ſtare debeant.*

### RUBRICA VI.

TAntæ importantiæ eſt, non tantum publico Artis Mercantiæ decoro, verum etiam, & publicæ utilitati Conſulatus officium, quod hac noſtra conſtitutione pro utile duximus Statuendum, prout Statuimus, & ordinamus, quod DD: Conſules pro tempore in officio præſidentes (niſi aliqua urgenti cauſa coacti eſſent) non debeant ſe aliquo pacto à Civitate Peruſiæ (durante officio Conſulatus eorum) recedere, ſed in ea continue degere, & pluries in die ad Audientiam Artis noſtræ proprium ipſorum reſidentiæ locum accedere, & quatenus à Civitate per aliquod temporis ſpacium recedere propter privata negocia vellent, recedere non audeant ſine ſcitu, & expreſſa licentia Collegharũ, inviolabiliter tamen ſervantes quod duo ipſorum ſemper in Civitate permaneant, ad hoc ut ſine alicujus præjudicio, & retardatione aliqua, & Artis, & Publici, & privatorum negocia cum præſentia, & voto eorum expediantur.



Digitized by Google

## *Per duos Conſules Negocia Conſulatus expediri poſſunt in aliorum abſentiam.*

### RUBRICA VII.

LIcet Conſulatus officium quatuor Virorum numero continuè plenum eſſe deberet, omneſque ad publica negocia, & tractanda, & expedienda ſolicitè intereſſe deberent; Nichilominus quia aliquando eveniet propter alicujus D. Conſulis infirmitatem, legitimum impedimentum, & abſentiam, quod non poterunt omnes inſimul convenire ad negocia tractanda, & expedienda; Ideo caſibus his providere pro bono publico, & celeriori negociorum expeditione intendentes: hac noſtra conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod omnia ad Conſulatus officium quoquo modo ſpectantia, & pertinentia per duos Conſules in aliorum abſentiā & per unum etiam ipſorum (aliis abſentibus) una cum interventu tamen, & voto Artis Prioris, quando unus tantum Conſul erit, tractari, expediri, & debitæ executioni valide demandari poſſint, & valeant, quibuſcumque in contrarium facientibus minime obſtantibus, & ad hoc ut cum laboribus emolumenta compenſentur, abſentium portiones, & emolumenta, præſentibus D D: Conſulibus, & Priori applicamus, præterquam in Seſſionibus, in quibus reſidentes unicam tantum portionem pro quolibet habere debeant.

## *De Electione D D: Conſolum in certis caſibus.*

### RUBRICA VIII.

FOrtuitus caſus prævidere prudentia eſt Poſſet aliquando occurrere, officium Conſulatus Mercantiæ per mortem, ſeù longinguam abſentiam, aut aliud publicati D. Conſulis legitimum impedimentum, ſeù alias per non publicationem non eſſe plenū, & quia importantiæ eſt, quod quando fieri poteſt, ſemper officium prædictum in ſuo quaternario numero conſiſtat. Ideo hac præſenti opportuna conſtitutione duximus providendum, quod eveniente caſu mortis, longinguæ abſentiæ, aut alterius legitimi impedimenti, aut alias non publicationis alicujus D. Conſulis; Si non erit Primus Conſul, debeant alii Conſules alium Juratum pro illa Porta, prò quà debet loco ſui eligere, ſubrogare, ſeù alias ſi publicatus non eſſet, nominare; Si verò Primus Conſul eſſet, pro honore ipſius primæ dignitatis debeant D D: Conſules vocari facere illos qui vigentem publicum officiorum Sacculum feciſſent,

& D D:

& DD: Conſules eorum Anteceſſores, ſivè ſucceſſores, & ex eis illos, quos habere potuerint, qui juxta propoſita facienda ab ipſis DD: Conſulibus una cum eis ad electionem dicti primi Conſulis pro illa Porta, pro quà debet, per ſuffragia ſecreta devenire debeant, & partitum intelligatur obtentum per Majorem partem Votorum favorabilium. Quibus peractis confirmationem, ſi electio, ſeù ſubrogatio, & deputationem, ſi nominatio ab Illuſtriſſimo tunc Præſide in Civitate Peruſiæ petere debeant, & obtinere curent, & ea obtenta, ſubrogato, ſeù ſic electo notificari faciant, & ipſum vocari curent ad ſuſcipiendum officium, & ad præſtandum ſtatutum juramentum; Hoc tamen declarato, quod ſi aliquis ad officium Conſulatus extractus, fuerit in longinguis partibus abſens, expectari debeat ejus adventus per duos menſes à die publicationis, quod ſi non redierit infrà dictum tempus pro videri poſſit, & debeat ut ſupra.

## *Facienda quæ erunt in Vacationibus officiorum.*

## RUBRICA IX.

EVeniet de facili, quod Officia tum Primi Magiſtratus, ſcilicet Prioratus Palatii pro Arte, tum etiam ſecundi, ſcilicet Conſulatus non erunt plena propter diverſa impedimenta, ſeù alias non publicationem eorum. Et pro honore Artis, & publicæ utilitate bene erit ſuper his de opportunis remediis providere. Ideo hac noſtra conſtitutione ordinamus, quod omnis electio loco mortui, ſeù alias abſentis, & legitime impediti Prioris, ſeù Conſulis, & nominatio loco non publicati, ſeù alias in albis relicti, & omnis recurſus ad Illuſtriſſimos Præſides, pro confirmatione, ſeù electione prædictorum, ad ſolos DD: Conſules Artis noſtræ ſpectet, ad hoc ut utilior electio, & nominatio fieri debeat, & quia immoderata hominum cupiditas ſuos perſepe excedit terminos; ordinamus nullum Juratum Artis noſtræ tantæ eſſe audaciæ, quod officia hæc pro ſe, nec pro aliis per ſe ipſum petat, nec ſibi alias, quam per jam datam conceſſam exerceat. Qui autem huic conſtitutioni contravenire præſumpſerit, & convenerit, pœnam ſibi à DD; Conſulibus imponendam, ipſiſque benè viſam. etiam caſſationis ab Arte noverit incurriſſe.

## *Contra Officiales non exercentes Officia eorum.*

### RVBRICA X.

QVia Vir ille, qui ad publica Officia prò Arte Mercantiæ eligitur, in omnibus caput eſt, & rector, & ſine rectore populus corruit. Propterea ſtatuendo decernimus, quod Juratus ille, qui ex publico officiorum Sacculo, ſeù alias ad aliquod officiũ publicatus, electus, ſeù alias deputatus fuerit, teneatur, & debeat ſub pœna privationis officiorum omnium, & emolumentorum Artis; & ingreſſus in ea per triennium omnino dictum officium acceptare, & illud exercere, quæ pœna executioni totali demandetur per DD: Conſules tunc præſidentes nulla admiſſa convenienti excuſatione, quæ pœna inobedienti remitti nequaquam poſſit, niſi per generalem adunantiam Artis per partitum ſolemniter obtentum: Conſules verò, qui in præmiſſis remiſſi ſeù alias negligentes fuerint, eamdem pœnam incurſos declaramus, per eorum ſucceſſores irremiſſive exequendam.

## *De Modo Congregandi Adunantias.*

### RVBRICA XI.

UBi duo vel tres fuerint in nomine meo congregati, ibi in medio illorum ſum, dicit Dominus. Quia ſepè evenit, quod prò Negociis, & factis Artis, ſeù quæ alias in Arte tractari debent, adunantias congregare neceſſe eſt; Propterea ſtatuimus; & ordinamus, quod DD: Conſules protempore quando voluerint adunantias Artis coadunare, debeant prius coadunare colloquiũ Juratorum illorum, quos habere potuerint, & eis notificare ea, propter quæ adunantiam congregare neceſſe eſt, & redditis conſiliis, quod adunantia congregetur, debeant inter eos ſtatuere diem, & horam illius: Et hoc peracto eam per plateas in locis ſolitis, per publicos Tubicinas Communis Peruſiæ banniri, & per Nuncios Artis intimari omnibus Artis Juratis mandent; Qui Jurati teneantur, & debeant die, & hora eis intimata in Audientia dictæ Artis, vel alio in loco intimato, accedere, & intereſſe adunantiæ ſic congregandæ, ad hoc ut deliberari poſſit quid agendum circa propoſita facienda abipſis DD: Conſulibus; & ut prontiores reddantur ad prædicta, volumus cuilibet Jurato, & Notario ad Adunantiam venienti, & ab ea non recedenti donec licentiata non fuerit, dari per Priorem Artis paulum unum pro quolibet, & Adunantia, non intelligendo de Adunantiis faciendis in quatuor luminaribus principalioribus, in luminare Santiſſimi

Digitized by Google

tiſſimi Corporis Chriſti, in luminare Sancti Bernardini, & in Adunantiis faciēdis propter obtētiones, & admiſſiones Juratorum, Conſultorum, Procuratoris, & Notariorum in Arte, in quibus Adunātiis dictum emolumentum ſolvi nolumus. Pro executione cujus Rubricæ mandamus per Notarios Artis diligenter puntari venientes ad dictas Adunantias, & in fine cujuſlibet ſemeſtris dari in notulam ipſi Priori, qui ſolvere debeat cuilibet venienti puntaturas ſuas ad dictam rationem ſine allo mandato.

## *De non recedendo ab Adunantiis niſi completis.*

### RVBRICA XII.

NOn dicitur veniſſe, qui non ſtetit. Propterea hoc præſenti Capitulo duximus ſtatuendum, quod omnes Jurati, qui acceſſerint ad Adunantias Artis, ab ea non recedant aliquo pacto ſinè expreſſa licentia DD: Conſolum, donec non fuerint terminata quæ proponentur, & Adunantia licentiata non fuerit ab ipſis DD: Conſulibus ſub pœna ammiſſionis illius portionis, quæ conſequi deberet in proxima ſequenti Adunantia, in quà intervenerit, ſi talis Adunantia emolumenti fuerit, ſin minus in ſequenti Adunantia cum Artis Emolumento, quæ pœna ab ipſis DD: Conſulibus remitti nequaquam poſſit, ſed omnino de ea privare inobedientem debeant.

## *De numero Iuratorum facientium Generalem Adunantiam.*

### RVBRICA XIII.

QVod per numerum determinatum fit, per omnes approbari debet: Adunantia Generalis Artis noſtræ erit, quando in ea interfuerint ad minus vigenti ſeptem Jurati cum DD: Conſulibus, præterquam in alienationibus bonorum ſtabilium, in quibus duæ partes de tribus Juratorum Artis intereſſe debeant; in Adunantiis autem prædictis vota eorum non mittant DD: Conſules quando numerum Iuratorum prædictum Adunantia excederet, declarantes quod partita, quæ mittentur in dictis Adunantiis non intelligantur legitimè obtenta, niſi ſaltem fuerint reperta habere duas partes de tribus votorum favorabilium, à quibus partitis excludātur caſus illi, quibus aliter per ſtatuta Artis proviſum eſt obtineri.

Nota quod Generalis Adunantia fuit redacta ad numerum viginti unius Iuratorum cum D D: Conſulibus Diè 14. Auguſti 1625. in Libro Adunantiarum.

Nota

Digitized by Google

Nota quod Generalis Adunantia fuit redacta ad numerum medietatis Iuratorum deſcriptorum in Matricula, ut in Libro Adunantiarum die 28. Februarii 1635. fol. 247.

## *De modo Conſulendi in Arte.*

### RUBRICA XIV.

SAlus ubi multa Conſilia. Quia multoties evenit, quod Seniores in Arte non poſſunt, aut nolunt aſcendere pulpitum ad arengandum, & conſulendum, ſed antiquæ, & laudabili conſuetudini pro honore, & magnificentia loci, & negociorum ſervatæ derogantes, tam ipſi, quam juniores ad locum Conſulunt eorum; non aliter pulpitum aſcendentes, propter quod, & confuſio votorum generatur, & negocia non tractantur ea cum gravitate, cum qua tractari deberent: Cui inconvenienti obviare volentes, ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Iuratus in Abunantis Artis Conſulere debeat, niſi pulpitum, locum ad Conſulendum factum, aſcendendo; Et niſi Conſulere voluerint quinque, vel ſex ex ſenioribus Antianis in Adunantia intervenientibus tunc poſitis in Sacchetto nominibus omnium Iuratorum, ex eis ſorte extrahantur tot Conſulentes ex Iuratis præſentibus, quot voluerint DD: Conſules, qui ſic extracti unus poſt alium juxta eorum antjanitatem in Arte aſcendere teneantur, & debeant pulpitum, & Conſulere quod eis videbitur convenire, quæ Conſulentium dicta poterunt ab aliis impugnari, ſeu eis addi aſcendendo tamen pulpitum, non aſcendentis autem, pars erit tantum cōfirmare Conſulentium dicta ad locum ſuum. Et aliter Conſilia à Notariis ſcribi nolumus.

## *De non propalando tractanda in Adunantiis.*

### RUBRICA XV.

QVi cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam. Solent ſepè in Colloquiis, & Adunantiis Artis noſtræ tractari negocia gravia, & importantia, quæ non debent per Plateas, nec alibi propalari propter multa inconvenientia quæ oriri poſſent; Id circo Iurati omnes hujus Artis ſciant, quod ea, quæ in Colloquiis, & Adunantiis Artis Mercantiæ tractantur, ſecrete tractantur, & tanquam ſecretè tractata ab eis propalari, nec revelari debebunt extra Artem pœna cuilibet contrafacienti DD: Conſulibus benevîſa.

## *De modo Mittendi Partita in Arte.*

### RVBRICA XVI.

SEcretorum ratio ſecreta eſſe debet. Maximæ importantiæ eſt quod vota in partitis ſecrete reddantur. Propterea hac preſenti inviolabili lege duximus ordinandum, quod antequam partita in Arte noſtra Mercantiæ ponantur, debeant DD: Conſules per unum ex Artis Notariis notificari facere ipſis tunc aſtantibus Iuratis, quod debeant in receptione votorum recipere plura alba, & nigra vota, & in redditione illorum reddere, vel alba, vel nigra prout eis, eorum conſcientia dictabit, ſecrete in manibus Notarii nulli patefacta. Hoc facto Notarius debebit votantibus vota prebere, & uno, ac eodem inſtanti eidem iuramentum dare de obſervando prædicta, quò facto, & Divini Numinis invocatione facta, partita excipientur, & vota reddentur ſecretè in manibus Notarii nulli patefacta. Et ſi aliquis contrafecerit, ultra quod in gravem perjuri, pœnam ſe incurſum eſſe noverit, poterit etiam pœna DD: Conſulibus benevisa in exemplum aliorum multari.

## *De partitis ſemel deperditis iterum reponendis.*

### RVBRICA XVII.

QVia ſapientis eſt mutare Conſilium. Ideo nos ſtatuendum duximus, prout ſtatuimus, & ordinamus, quod quando partita quælibet in Arte poſita, non fuerint in prima vice obtenta, quod tunc, & eo caſu poſſint DD: Conſules, ſi eis videbitur, & præcipue quando ita Conſuletur, iterum eadem partita ipſis DD: Iuratis uſque ad tres vices proponere, & mittere, ad hoc ut poſſit videri ſi per rationes melius dictas, ſeù alias de novo redditas, contraria Iuratorum vota in favorabilia mutarentur.

## *De ſervandis à DD: Conſulibus in Concedendo locum obtineri volentibus in Arte.*

### RVBRICA XVIII.

PRincipio bono inchoata vix malo peragentur exitu. Volumus, Iuratos Artis Mercantiæ eſſe omni exceptione Majores. Propterea DD: Conſules pro tempore, ſi aliquis inſteterit coram eis obtineri pro Iurato in Arte, debebunt prius conſiderare, quis nã ſit vir ille, ſi eſt convenientis ætatis, ſi laudatæ vitæ, & bonæ expe-

expectationis, & cum cognoverunt eum eſſe talem, qualis eſſe debet pro Arte Mercantiæ, poterunt, locum concedere, & ordinare Notariis, quod notulam Iuratorum dent ei.

## *De ſervandis per volentes ingredi Artem.*

## RVBRICA XIX.

PEtite, & accipietis, qui voluerint pro Iuratis Artis Mercantiæ obtineri neceſſe eſt, quod habita notula Iuratorum Artis ut ſupra, ad eoſdem Iuratos ſe conferant, & cum ea qua, decet modeſtia ab eis petant quod requirunt, & hac, quæ pratica dicitur, completa, referent DD: Conſulibus ad hoc, ut ipſi poſſint pro ea, qua eis videbitur diè, & hora vocari fecere ad colloquium Iuratos ipſos, & colloquio facto, ſi Conſulibus, & Iuratis videbitur, convocari faciant Adunantiam generalem pro mittendo partito ſuper tali obtentione juxta illud, quod ſemper hactenus in hac Arte ſervatum fuit.

## *De ſervandis in obtentione Iuratorum in Arte.*

## RVBRICA XX.

NOn aliter, quam per novas receptiones Iuratorum Collegia, & Artès ſervantur in eum; Congregata igitur Generali Adunantia Iuratorum Artis Mercantiæ juxta Conſtitutionem ut ſupra æditam; volentes DD: Conſules tunc præſidentes in ea proponere aliquem pro Iurato dictæ Artis, notificent hoc ipſi Adunantiæ, exprimendo nomen, & cognomen ſic petentis in Iuratum obtineri, ſuper cujus petitione petent eorum Conſilia reddi; & Conſulendo Iurati, quod mittatur ad partitum, partes DD: Conſulum erunt in mandando, deveniri ad extractionem Iuratorum, qui in partito mittendo intereſſe debent, & tunc ex ſolitis burſis, in quibus reconduntur Iuratorum nominina, extrahentur ſortè, ſi petens obtineri habuerit Patrem in Arte, Iuratos quindecim videlicet tres pro qualibet Porta, ſi vero Patrem in Arte non habuerit extrahentur Iurati vigintiquinque, videlicet quinque pro qualibet Porta, quo facto, licentiatis non extractis, & extractis in Adunantia remanentibus, mandabunt DD; Conſules quod ſic remanſi Iurati, virent non obtinere illum, dè quò tractatur prò Iurato Artis, niſi cognoverint, ſeu ſaltem credant, ipſum fore Iuratum utilitatis, & honoris Arti Mercantiæ, & accipere plura vota alba, & nigra, eaque ſecreta reddere juxta alias jam traditam legem, & Iuramentis præſtitis, & votis per Iuratos recep-

cep-

coptis Divini Numinis invocatione facta, ponetur ad partitum talis petens ſe obtineri in Arte pro ea Porta, pro qua ipſe voluerit, ſeù alias DD: Conſulibus placebit cum honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, ad buſſolam, & ſecreta ſuffragia alba, & nigra, & partitum quindecim Iuratorum obtinebitur per treſdecim, partitum verò vigintiquinque per viginti duo ſuffragia alba favorabilia in pixidem reſtituta, duobus in uno, & tribus in altero nigris in contrarium repertis minime obſtantibus.

## *De Servandis in abſentia alicujus Iurati pro partitis ponendis, & aliis exequendis.*

### RVBRICA XXI.

OPortunis providere remediis defectibus, quæ de facili oriri poſſent prudentia eſt. Quia aliquando evenire poſſet, quod in extractione Iuratorum pro ponendis partitis, ſeù aliis negociis Artis exequendis in Adunantiis non adeſſent tot Iurati pro aliqua Porta, quot ſunt neceſſe pro ipſis partitis ponendis, & negociis exequendis; ad hoc ut propter abſentiam Iuratorum negocia non pereant, ſeù alias trahantur in longum. Huius Capituli ordinatione duximus ſtatuendum, quod quando deficeret pro aliqua Porta aliquis Iuratus, loco illius votet, & ſubrogetur Conſul illius Portæ, ſi Conſul pro ea Porta adeſſet, ſin minus, Conſul qui adeſſet vicinior, & in defectum vicinioris ſubſequentis Portæ, & quando, Conſules non adeſſent, ſeù plures Iurati deficerent, tunc ſorte extrahatur unus ex Iuratis alterius vicinioris, & in defectum, vicinioris ſubſequentis Portæ accipiendo ſemper Conſules, & Iuratos pro Porta viciniori à manu dextra,

## *De Iuramento preſtando novis Iuratis in eorum receptione.*

### RVBRICA XXII.

NON eſt dubitandum, quod Iuramenti vinculum magis obligat. Propterea antiquæ, & laudabili conſuetudini hactenus ſemper ſervatę in admiſſione Iuratorum in Arte Mercantię inherentes; Huius Sanctionis tenore ordinamus; Quod antequam Viri illi, qui pro Iuratis dictæ Artis fuerunt recepti, in matricula eiuſdem deſcribantur, toghati incedentes perſonaliter, ſi fieri poterit, ſin minus per Procuratorem Idoneum in plena Adunantia Artis dictæ ſe conferant, ibidemque accedente conſenſu Patris, ſi filii familias erunt, iure iurando Scripturis corporaliter manu tactis ſolemniter promittant, Statuta omnia, conſtitutiones & ordi-

dinationis Artis prædictæ, tam factas, quam faciendas inviolabiliter attendere, firmiterque obſervare, DD: Conſulibus pro tempore præſidentibus in Arte obedire, eorumque mandatis parere ſub pœnis contentis in Statutis, & conſtitutionibus dictæ Artis, cauſas eorum omnes contra perſonas iuriſdictioni dictæ Artis ſupoſitas ad dictæ Artis Tribunal agere, à Iuriſdictione ipſorum DD. Conſulum nunquam declinare, Artemque dictam, illiuſque membra, Bona, & Iura contra omnes eis inſidiantes, ſeu damnificantes defendere, & nunqnam intervenire in aliquo tractatu, in quo ageretur de damno, periculo, & dedecore illorum, ſed ea omnia removere propoſſe, & quanto citius DD. Conſulibus notificare, & omnia alia facere, & exequi, quæ quilibet bonus Vir, & Iuratus debet pro honore, utilitate, & magnificentia Artis ſuæ, omni prorſus cavillatione, & ſubterfugio, tam Iuris, quam facti remotis. Quibus peractis ſoluet in manibus D. Prioris Artis florenos ſex monetæ argenteæ: Curabit poſtremo ſolitum præberi, & dari Simphoſium cuilibet habere debenti iuxta ſtilum, & conſuetudinem dictæ Artis.

## *Nullus ſe caſſari ab Arte poſſit ſine licentia.*

### RVBRICA XXIII.

QVod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt. Qui iuxta inſtantiam per eum factam, in Arte pro Iurato obtentus fuerit, ſtatuimus, & ordinamus quod ab ea ſe caſſari non poſſit ſine licentia DD. Conſulum expreſſa, ſub illa pecuniaria pœna DD. Consulibus ipſis beneviſa.

## *De Officiis ab aliis Artibus non recipiendis.*

### RVBRICA XXIV.

PRO decoro Artis Mercantiæ omnium aliarium artium prencipalioris ſtatuimus, quod nulli Artis Mercantiæ Iurato liceat officia quęlibet ſibi ab aliis Artibus data exercere ſub pœna privationis officiorum dictæ Artis, ſibi uti talis Artis Iurato quomodolibet obuenientium per decennium,

## *De abſtinendo ſe ab inlicitis.*

### RVBRICA XXV.

STimulus proprii honoris unicuique curæ ſummopere eſſe debet; & ideo nos hac noſtra ordinatione ſtatuimus quod Iurati Artis Mercantiæ omnino ſe ab inlicitis abſtineant, & vitam co-

eorum laudabiliter agant, & modo aliquo artem non honorabilem exerceant, pœna contrafacientibus DD. Conſulibus bene viſa.

## *De electione Prioris Artis.*

## RVBRICA. XXVI.

OMne officium bene regitur, ſi de bono Officiali provideatur. Quia igitur officium Prioratus Artis Mercantiæ Rector eſt, & Gubernator totius haveris, & omnium introituum, & exituum illius, ideo importantiæ eſt optima illius proviſio; Propterea nos hac noſtra conſtitutione duximus ordinandum, Priorem ipſum eligendum eſſe ordine infraſcripto ſervato videlicet. Completo officio Prioris prædicti, quod per triennium durabit, niſi alias per Adunantiam proviſum erit, congregabitur Generalis Adunantia Iuratorum, & proponetur eis à DD. Conſulibus nova Prioris neceſſaria electio; Et redditis conſiliis quod ad electionem deveniatur, extrahentur ex ſolitis Burſis tres Iurati pro qualibet Porta ex præſentibus, qui una cum DD. Conſulibus in ſecretiori ſtantia audientiæ Artis noſtræ ſe conferentes, eligent inter eos per ſecreta ſuffragia alba, & nigra tres ex Iuratis Artis prædictæ, & partita intelligantur obtenta per majorem partem votorum favorabilium, & proponantur pro Prioribus à DD. Conſulibus in dicto partito illi, quos, & ipſi voluerint ex Iuratis Artis noſtræ, & eis ab aliis Votantibus nominati venerint, & facta tali electione dictorum trium Iuratorum in dicto ſecretiori loco inter dictos extractos, tunc dicti tres Iurati ſic in dicto partito obtenti unus poſt alium, ſecundum eorum antianitatem in Arte, ponentur ad partitum in Generali Adunantia dictæ Artis, partita in Cartoſiis ſecrete recondita, donec omnia poſita fuerint, publicabuntur, & qui repertus fuerit ex illis tribus plura vota favorabilia habere ultra medietatem, ille ſit legitimus Prior pro triennio tunc proximo futuro, ſeu alias pro tempore in ipſa Adunantia determinando cum honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis.

## *De ſervandis per Priorem Artis.*

## RVBRICA XXVII.

QVanto Superiores ſumus, tanto prudentius agamus. Et propterea omnes neceſſarias proviſiones facere intendentes ad hoc, vt Prioratus officium omni cum prudentia, ſolicitudine, & fidelitate exerceatur; Hac preſenti conſtitutione duximus ſtatuen-

tuendum, quod qui ad officium Prioratus electus fuerit debeat in principio ſui officij omnia mobilia, & ſuppellectilia, & maſſeritias dictæ Artis ubilibet exiſtentia, & ſub cura Prioris retineri ſolita, per Inventarium bene factum, & non confuſe ſcriptum, & manu ſua ſubſcriptum recipere, & unam illius copiam in Domibus dictæ Artis in P. S. A. retinere, & aliam Notarijs Artis prædictæ conſignare, & in fine ſui Prioratus reſtituere ea ſuo Succeſſori teneatur bene conditionata, non devaſtata, ſeu deteriorata culpa, & defectu ſuo, & familiæ ſub cura ſua exiſtentis.

Teneatur inſuper retinere fidele, & diſtinctum computum omnium introituum Artis prædictæ, & pariter exituum illius.

Non poſſit aliquas expenſas niſi ordinarias facere ſine expreſſo mandato DD. Conſulum manu unius ex Notariis Artis ſcripto, & Sigillo Artis munito, quæ mandata fieri non poſſe volumus ab ipſis DD. Conſulibus, niſi fuerint pro executione partitorum in Adunantiis legitime obtentorum, ſeu alias iuxta ſtilum ſervari ſolitum, & ipſius Artis conſtitutiones.

Duos libros introituum, exituum Artis tenere debeat, ſcilicet Giornalem, & librum Groſſum, vt in eis manu propria ſi poterit, ſin minus, unius ex Miniſtris Artis ſuæ ditioni ſubiectis, ſi idoneum Miniſtrum habuerit, ſin autem, unius ex Iuratis, ſeu Notariis Artis, & non per alias perſonas, ad hoc ut extraneis Artis negocia non propalentur, ſcribere teneatur omnes introitus, exitus Artis prædictæ, & omnes debitores, & creditores illius, & infra duos menſes poſt finitum eius officium, libros ſuos completos omni neceſſaria ſcriptura conſignare DD. Conſulibus, ad hoc ut poſſint eligere reviſores ad dicta computa revidenda, & quatenus infra dictum tempus libros prædictos ſic completos non conſignaret, incidat in pœnam amiſſionis ſui ſalarii pro uno anno, & omnium officiorum, & emolumentorum, quæ ab Arte habere poſſet, & ingreſſus in audientia, donec non conſignaverit, quæ pœna non poſſit ei remittere, niſi per generalem Adunantiam dictæ Artis.

Curabit diligenter, quod familia Artis prædictæ, quæ ſub eius cura expenſis Artis vivit, & ad Artis ſervitia retinetur fideliter officium ſuum expleat, ſibique computa reddat de omnibus Artis rebus, & factis, quæ ipſorum curæ committentur, ſciens ipſe Prior, quod pro illis ipſæ Arti tenebitur ad omnia, prout ſic eum teneri declaramus.

Teneatur ipſe Prior omnia alia, & ſingula facere, exequi, & exercere, quæ ipſius quoquo modo tangunt officium.

Eveniente caſu mortis Prioris, officio ſui Prioratus durante,

vo-

volumus, hæredes mortui Prioris teneri ad ea omnia, ad quæ Prior ipſe ſi viveret teneretur, & quod propterea DD. Conſules curent, hæredibus mortui Prioris intimari facere, quatenus infra terminum trium menſium à die intimationis debeant libros Prioratus prædicti omni neceſſaria ſcriptura completos conſignare in manibus DD. Conſulum, ſub pœna ipſis hæredibus, quod unquam in Arte pro Iuratis obtineri poſſint, & caſu quo hoc non ſufficeret, procedatur iure medio contra eos, donec Ars quod ſuum eſt ab hæredibus prædictis habebit.

Eveniente caſu refirmæ Prioris in Prioratu poſt finitum tempus primevæ electionis, nihilominus teneatur infra dictum tempus duorum menſium dictos libros officii iam completi in manibus DD. Conſulum ad effectum, vt ſibi computa pro tempore decurſo revideri poſſint, conſignare ſub pœnis ſuperius expreſſis, & privationis ab officio Prioratus ipſo iure ſine alia declaratione.

Debebit ipſe Prior in principio ſui officii ad prædicta omnia adimplenda, & firmiter obſervauda, ſe, ſuoſque heredes, & bona omnia obligare, & iure iurando obſervantiam illorum promittere in forma iuris valida per acta unius ex Artis noſtræ Notariis.

## *De auctoritatibus Prioris Artis.*

## RVBRICA XXVIII.

Sicut Prior eſt nomen honoris, ſic & dignitatis, & auctoritatis eſſe debet. Propterea hac præſenti conſtitutione ſtatuimus, & declaramus, quod Prior pro tempore Artis Mercantiæ intelligatur, & cum effectu ſit verus, certus, legitimus Sindicus, & Procurator Artis Mercantiæ ad omnia, ſingula dictæ Artis negocia, & facta, & ad omnes, & ſingulas ipſius lites, cauſas, quæſtiones, & controverſias, contra, & adverſus quaſcumque perſonas &c. & coram quocumque Iudice Eccleſiaſtico, vel Seculari &c. & tam civiles, quam criminales, puras, ſeu miſtas, tam in agendo, quam in defendendo cum clauſula ad lites, & cauſas ampliſſima, & ad exigendum à quibuſcumque Artis prædictæ debitoribus quaſcumque pecuniarum, & aliarum quarumcumque rerum, & bonorum ſummas, quantitates, & qualitates dictæ Arti tunc debitas, & de exactis &c. quietandum, & refutandum &c. & ad locandum ad penſionem Domos, Apothecas, & Magazzena, & ad laboritium, coprumum, & affictum Poteria, Terras, Poſſeſſiones, & Vineas, & quæcumque ipſius Artis bona ubicumque ſita, cuicumque perſonæ pro reſponſionibus, & cum conditionibus, pactis, &

pro præciis, & reſponſionibus, ac pro tempore, ſeu temporibus Priori benè viſis; Et ad compromittendum in judicio, & extra omnes ipſius Artis lites, cauſas, differentias, prætenſiones cum quacumque perſona, & compromiſſa prorogandum, ſeu de novo faciendum toties, quoties opus fuerit, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, & dicto Priori benè viſis, laudum, ſeu lauda in totum, vel in partem acceptandum, & ab eo, vel eis appellandum, recurrendum, reclamandum, ſeu reductionem ad arbitrium boni Viri petendum, petendumque abſolutionem à quocumque iuramenti vinculo &c. Venditionibus, & alienationibus Bonorum livellariorum dictæ Artis, ſive livelli illius, ſemper pro Arte ſalvo, ſolutoque ſibi ſolito laudemio, cum pactis, & conditionibus ſolitis conſentiendum, & Bona prædicta ad livellum concedi ſolita, finito tempore conceſſionis eorumdem, iterum concedendum, facta ſemper ſolita ſolutione laudemii ſibi pro Arte, cum pactis, & conditionibus ſolitis in ſimilibus, bonaque prædicta, quæ ad Artem devolverentur, ſeu per non ſolutionem livelli, ſeu per tempus finitum, non obſervantiam promiſſorum, aut alia iuſta de cauſa ad Artem devoluta eſſe declarandum, & dictorum Bonorum, & aliorum quorumcumque ad Artem quomodolibet pertinentium, & ſpectantium, pro Arte poſſeſſionem actualem, & corporalem accipiendum, intrandum, & retinendum; Habeatque etiam auctoritatem in prædictis omnibus, & quolibet prædictorum ſubſtituendi unum, vel plures, Sindicos, ſeu Procuratores loco ſui &c: & ſubſtitutos revocandi &c. nihilominus auctoritatibus ei, ut ſupra conceſſis in ſuo robore permanentibus, & generaliter omnia alia, & ſingula faciendi in prædictis neceſſaria, & opportuna, & pro prædictorum firmitate Artem Mercantiæ, illiuſque Bona &c. obligandum in quacumq: neceſſaria, & valida forma, etiam R-C. Ap. cum pactis, capitulis, conditionibus, & promiſſionibus dicti D. Priori, & ſubſtituendis ab eo bene viſis.

Habeat etiam auctoritatem, & facultatem Cappellanum in Cappella Sancti Bernardini dictæ Artis in Eccleſia Cathedrali Peruſina, ſeu alias ſine titulo Cappellani, Sacerdotem ad celebrandum in dicta Cappella eligendi, & arbitrio ſuo amovendi, & de novo eligendi, cum proviſione, & emolumentis ſibi beneviſis, dummodo ſolitum non traſcendat ſine DD. Conſulum expreſſa licentia.

Habeat etiam auctoritatem, famulum, & famulam pro ſervitio Artis in Domibus ipſius in P. S, A. & Hoſpitalarium expenſis Artis mittendi, & retinendi cum ſalariis eidem Priori beneviſis, eoſque etiam elevandi, & de novo alios deputandi, prout eidem videbitur expedire. Ha-

Digitized by Google

Habebit etiam auctoritatem eligendi, & deputandi unum, vel plures portitorem, ſeu portitores pro ſervitio Artis cum ſolitis regaliis, & emolumentis, eoſque ad libitum ſuum elevandi, & alios de novo ſubrogandi, prout ſibi melius videbitur, & placebit.

## *De Equo, & Animalibus Artis non accommodandis.*

## RVBRICA XXIX.

NON convenit, quod ad animalia, quæ pro factis Artis retinentur, alii recurrant pro factis propriis; Et ideo hac præſenti conſtitutione providemus, quod Prior Artis Mercantiæ non poſſit, nec valeat Equum, & alia animalia, quæ pro uſu, & ſervitio Artis retinentur, alicui Iurato, vel non Iurato accommodare aliquo pacto ſine licentia DD. Conſulum.

## *De Conviviis non faciendis in Domibus Artis:*

## RVBRICA XXX.

AD removendum ſcandala, quæ de facili oriri poſſent; Hac præſenti conſtitutione dicimus, aliqua convivia fieri non poſſe in Domibus Artis Mercantiæ in P. S. A. etiam particularibus ſumptibus, niſi ſumptibus Artis in die feſtus Omnium Sanctorum ex cauſis ſuperius expreſſis, & in caſu, in quo Viſitatores Iurati, qui Bona Artis viſitaſſent, in dictis Domibus ſe reficiare in reditu à Viſitatione vellent.

## *De Salario, & Emolumentis Prioris Artis.*

## RVBRICA XXXI.

OFficium publicum nemini debet eſſe damnoſum. Quia Prioratus Artis officium eſt ſatis laborioſum, Propterea ſtatuimus, & ordinamus, ad hoc vt cum emolumentis labores compenſentur, Quod Prior Artis habeat, & habere debeat pro eius ſalario, & proviſione ab Arte florenos vigintiquinque pro quolibet anno, Quos poſſit quolibet anno propria auctoritate accipere de pecuniis Artis ad manus ſuas perveniendis; De quo ſalario in libris Artis ſe creditorem, & debitorem facere teneatur; Et ultra prædictos in luminaribus, & in ingreſſu Iuratorum, Conſultorum, Procuratorum, & Notariorum in Arte, debeat habere portiones duas, & mediam portionem pro eius famulo, & in quolibet luminare, ultra prædicta, faculam unam ceræ albæ ponderis librarum quatuor.

## *De Computis reddendis per Priorem.*

### RVBRICA XXXII.

REdde rationem villicaationis tuæ ſcriptum, & rationi conſonum eſt. Et propterea Nos ita exequi mandamus hoc præſenti capitulo, ſtatuendo, quod omnino Prior Artis noſtræ; & in caſu mortis ipſius, eius hæredes, teneatur, & teneantur, debeatque, & debeant reddere rationem adminiſtrationis officii Prioratus Artis per eum adminiſtrati, & omnium introituum, & exituum illius Reviſoribus ad hæc ſpecialiter eligendis à DD. Conſulibus Artis prædictæ, & caſu quo in redditione computorum condemnatus veniret à Reviſoribus ad aliquod Arti ſolvendum, vel reſtituendum, teneatur, & teneantur omne id, ad quod condemnatus, vel condemnati veniret, & venirent, ſolvere, reddere, & reſtituere ſtatim facta relatione à reviſoribus ipſis, omni prorſus exceptione remota, adeo quod nihil poſſit contra dictam relationem dici, vel opponi, nec ab ea ſe reclamare, vel recurrere ad aliquem Superiorem, ſed omnino illi parere in omnibus, & per omnia teneatur, & teneantur, & caſu quo Prior contraveniret huic conſtitutioni in non ſolvendo, & reſtituendo ea, ad quę condemnatus veniret, intelligatur, & ſit ipſo iure ſine alia declaratione caſſus ab Arte, & nihilominus pro prædictis poſſit contra ipſum, eiuſque hæredes fieri exequtio realis, & perſonalis ſine alia Citatione, vel requiſitione, præcedente tamen decreto, & mandato DD. Conſulum, vſque ad integram ſatisfactionem, & reſtitutionem totius debiti.

## *De Reviſoribus eligendis ad revidendum computa Priori.*

### RVBRICA XXXIII.

NEgligens in officiis punitur, & diligens laudatur. Propterea, & ad hoc vt Ars Mercantiæ quod ſuum eſt à Priore conſequi valeat, ſtatuimus, & ordinamus, Quod DD. Conſules pro tempore teneantur, & debeant finito tempore Prioratus, & eis conſignatis libris introituum, & exituum Artis prædictę per dictum Priorem retemptis, eligere duos Iuratos expertos ad revidendum computa dicto Priori de bonis, & rebus Artis per ipſum adminiſtratis, quibus dicti DD. Conſules libros ipſos conſignare habeant, & ipſi ſic electi Reviſores teneantur, & debeant dictam electionem acceptare, libros prędictos recipere, & computa prædicta revidere, & DD. Conſulibus in ſcriptis referre, quomodo computa retempta ſunt, & ſi bene introitus Artis admi-

miniſtrati fuerunt, & ſi Prior eſt debitor, vel creditor, & in qua quantitate, & omnia alia, quę ipſi annotanda duxerint pro utilitate Artis; Quod omne exequi debeant infra duos menſes à die conſignationis dictorum librorum eis facta, ſub pœna ammiſſionis eorum ſalarii, & omnium Artis emolumentorrm per annum, quę pœna non poſſit ei remitti per Conſules aliquo pacto. Habeant autem Reviſores prædicti pro eorum ſalario, ſi munus eorum infra terminum præfixum expleverint, florenos quatuor monetæ argenteę pro quolibet.

## *De nova electione Prioris facienda in certis caſibus.*

## RVBRICA XXXIV.

QVÆ de facili contingere poſſunt, conſiderare bonum eſt; & propterea decernimus, & ordinamus, quod eveniente caſu mortis, ſeu aliter legitimi impedimenti illius, qui ad officium Prioratus Artis exercendum electus fuerit, ad hoc, ne Ars propterea aliquod detrimentum ſentiat, teneantur, & debeant DD. Conſules, omni mora poſtpoſita, convocare colloquium Iuratorum Artis, & eis proponere mortem, ſeu aliter impedimentum legitimum dicti Prioris, & neceſſitatem novæ electionis, & cum conſultum fuerit, quod ad novam deveniatur electionem, generalem more ſolito Adunantiam convocari facere, & ad novam Prioris electionem devenire debeant, ſervando ea, quę in electione Prioris ſtatuta ſunt ſervari.

## *De receptione Conſultorum in Arte.*

## RVBRICA. XXXV.

QVia Iuris ſcientia eſt theſaurus inæſtimabilis, & pro ea ad Iuris peritos recurri debet; propterea Majores noſtri ſemper ſoliti fuerunt habere in Arte plures Iuris peritos ex digníoribus, & principalioribus huius Peruſinæ Vniverſitatis, ad quos habetur recurſus, tum pro cauſis, & negociis Artis patrocinandis, & conſulendis, tum etiam pro cauſis Tribunalis illius de iure expediendis; Propterea huius antiquæ obſervationi inherentes, hac præſenti conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod eveniente caſu, in quo aliquis Juris doctor vellet ſe obtineri in Arte Mercantię pro Conſultore Artis, debeat quod optat à D D. Conſulibus tunc temporis petere, qui ſi cognoverint eum eſſe talem, qualis eſſe debet pro honore, & utilitate huius Artis, notulam Iuratorum dari mandent ei, qua per ipſum receptà, deſiderium Iuratis propalabit ſuum, ab eiſque petet favorabilem obtentionem,



Digitized by Google

quibus peractis, DD. Conſulibus notificare debebit, quorum partes erunt ſuper hoc convocare de more colloquium Iuratorum, & eis proponere petitionem, vt ſupra à dicto Doctore factam, & redditis conſiliis, quod obtineatur, convocari faciant pro certa die, & hora eis bene viſa, generalem adunantiam Iuratorum, in qua proponant petitionem ipſius, & ponatur ad partitum ad buſſulam, & fabas albas, & nigras inter omnes Iuratos in dicta adunantia intervenientes, & partitum obtineatur per duas partes de tribus votorum favorabilium, & caſu quo plures concurrerent in obtentione, & unus obtineri deberet, obtentio illius prævalebit, qui ultra duas partes de tribus, plura vota favorabilia habuiſſe compertum fuerit; Præcedantque ſecundum eorum obtentionem in Arte.

## *De Iuramento præſtando DD. Cunſultoribus in eorum receptione.*

### RUBRICA XXXVI.

IVramenti vinculum, ultra quod magis obligat, maximum etiam eſt, & propterea hac conſtitutione ordinamus, quod obtento aliquo excellentiſſimo legum Doctore in Arte pro illius Conſultore, debeat ipſe obtentus perſonaliter ſe in generali adunantia Iuratorum conferre, ibidemque ſolemniter jure jurando promittere obedientiam omnem DD. Conſulibus Artis dictæ, conſtitutiones Artis, tam factas, quam faciendas ad perſonam, & officiium DD. Conſultorum pertinentes inviolabiliter ſervare, cauſas ſuas omnes ad Tribunal Mercantiæ in futurum cognoſcere, & à iuriſdictione DD: Conſulum nunquam declinare, gratis ſemper, tam viva voce, quam in ſcriptis ad omnem ſimplicem DD. Conſulum requiſitionem actiones, & jura ipſius Artis ab omni perſona, communi, corpore, collegio, & univerſitate de jure ubilibet defendere, & fideliter vota eius reddere, & omnia alia, & ſingula facere, quæ vti bonus, fidelis, & legalis legum Doctor, & huius Artis Conſultor debebit pro honore, & utilitate Artis ſervanda omni modo meliori: Poſtque florenos ſex in manibus Prioris in moneta argentea ſolvet, & ſolitum ſimphoſium omnibus de more præſtabit.

De

## *De officio DD. Conſultorum in Arte.*

### RUBRICA XXXVII.

QVia nomen debet eſſe conſequens rei. Propterea præſenti hac noſtra ordinatione ſtatuimus, quod DD. Conſultores hujus Artis teneantur, & debeant gratis, tam viva voce, quam in ſcriptis, quotieſcumque requiſiti fuerint à DD. Conſulibus, Priore, & Sindico Artis, actiones, & jura ipſius Artis ubilibet defendere, ad jus reddendum ad Artis Tribunal, quotieſcumque fuerint requiſiti, accedere, in ſententiis per DD. Conſules in cauſis coram eis vertentibus vota eorum ſi à DD. Conſulibus fuerint requiſiti dare, & omnia alia, & ſingula facere, gerere, & exequi, quæ ipſorum quoquo modo tangunt officium.

## *De Sportulis dandis DD. Conſultoribus in ſententiis cum eorum voto ferendis.*

### RVBRICA XXXVIII.

SApientium conſilio dandę ſunt ſententiæ. Quotieſcumque DD. Conſultores Mercantię inſpexerint aliquem proceſſum cauſæ cujuſcumque coram DD. Conſulibus ad Tribunal Mercantię vertentis, & in prolatione ſententiæ in eadem cauſa per DD. Conſules ferendæ, eorum vota in ſcriptis dederint, propinas, ſportulas dictas, eis deberi volumus juxta taxam in hac Peruſina Vrbe ſervari ſolitam, Declarantes, quod votum unius ex Conſultoribus jam dictis ſufficiat, ſed quatenus aliqua pars inſtaret ſententiam proferri cum voto plurium Conſultorum, tunc propinę duplicentur, ſeu triplicentur ſecundum numerum DD. Conſultorum votantium, adeo quod unuſquiſque ipſorum integram propinam juxta jam dictam taxam habere debeat, niſi aliter DD: Conſulibus tunc temporis viſum fuerit; in cauſis autem miſerabilium perſonarum, & in illis, in quibus DD. Conſules ſportulas non eſſe ſolvendas declararent, eas nequaquam ſolvi volumus.

## *De receptione Procuratoris in Arte.*

### RVBRICA XXXIX.

QVia uſus Procuratoris per quam neceſſarius eſt, propterea hac conſtitutione, inherendo antiquæ conſuetudini hujus Artis, ſtatuimus, & ordinamus, quod Ars Mercantię unum cauſarum Patronum, cauſidicum dictum, pro Artis ſervitio in ea habere poſſit, & valeat. Et propterea quotieſcumque locum Pro-

 cu-

curatoris in Arte vacabit, & aliquis Cauſidicus inſteterit DD. Conſulibus ſe obtineri in ea, ſi cognoverint ipſum eſſe integritatis, & ſufficientiæ convenientis pro ſervitio hujus Artis, & cauſis ſuis patrocinandis, notulam Iuratorum dari mandent ei per Notarios Artis, ad hoc ut ſolitam praticam cum Artis Iuratis facere valeat, qua facta D D. Conſules poterunt ad colloquium Iuratos de more convocari facere, in quo petitionem talis Procuratoris eis patefaciant, & ſi ab eis conſuletur, quod ſuper hoc convocetur generalis adunantia, & ponatur ad partitum, convocetur pro die, & hora per eos deputanda, quà coadunata in legitimo numero, ad buſſulam, & fabas albas, & nigras partitum ponatur ſuper tali obtentione, factis prius propoſitis, & redditis conſiliis, qui ad partitum ponatur, partitumque obtentum erit, ſi duas partes de tribus votorum favorabilium ad minus habebit, & caſu quo plures uno, eodemque tempore concurrerent, & illud idem peterent, partitum omnium ſeparatim ponatur, & quia unus tantum obtineri debebit, in obtentione ſervetur quod in partitis DD. Conſultorum ſtatutum eſt, ſervari.

## *De Iuramento præſtando Artis Procuratori.*

## RVBRICA XL.

EST neceſſarium, quod Procurator Artis in eius receptione ad juramentum recipiatur, cum officium illius multæ importantiæ Arti noſtræ ſit; Et propterea debebit qui ad officium Sindici, & Procuratoris Artis legitimè fuerit obtentus, togatum ſe in publica Iuratorum Artis adunantia preſentare, & jure jurando promittere ſemper obedire mandatis DD. Conſulum dictæ Artis pro tempore in officio præſidentium, conſtitutiones omnes Artis Mercantię, & precipue officium, & perſonam illius tangentes attendere, & ſervare, cauſas, lites, & quæſtiones omnes ipſius Artis contra quaſcumque perſonas, commune, corpus, Collegium, & Vniverſitatem gratis in quocumque foro patrociniari, & defendere, tam hic Peruſiæ, quam alibi, cauſas ſuas coram eiſdem DD. Conſulibus cognoſcere, & ab eorum juriſdictione unquam declinare, & omnia alia facere, gerere, & exequi, quæ quomodolibet ipſius tangunt officium, & quilibet bonus, diligens, & fidelis Sindicus, & Procurator tenetur, & obligatus eſt omni modo meliori; ſolvetque etiam ipſe Arti in manibus Prioris florenes ſex in moneta argentea, Simphoſiumque de more omnibus præſtabit.

## *De Officio, & auctoritatibus Procuratoris Artis*

### RUBRICA XLI.

AD hoc ut Procurator Artis cum auctoritate validè, officium ſuum exercere poſſit; Propterea hac noſtra Conſtitutione dicimus, & ſtatuendo decernimus, quod vir ille, qui fuerit legitimè ut ſupra obtentus in Procuratorem Artis, cum effectu ſit verus, legitimus, ac indubitatus dictæ Artis noſtræ Mercantiæ Procurator ad omnes, & ſingulas ipſius Artis lites, cauſas, quæſtiones, diſcordias, & controverſias motas, & movendas, tam Civiles, quam Criminales, puras, ſeù miſtas coram quocumque Iudice Eccleſiaſtico, vel Seculari &c. & contra quaſcumque perſonas, commune, corpus, Collegium, & univerſitatem ad agendum, & iura ipſius Artis defendendum, & omnes & quoſcumque actus litibus neceſſarios, & opportunos faciendum; à quocumque gravamine, iniuſtitia, & ſententia qualibet, in totum, vel in partem recurrendum, reclamandum, & de nullitate, gravamine, & iniuſtitia dicendum, & allegandum, appellationeſque proſequendum, & ad finem perducendum, & quaſcumque reſtitutiones in integrum, & abſolutiones à quocumque iuramenti vinculo, & executionem quorumcumque Inſtrumentorum, & aliarum quarumcumque ſcripturarum petendum; Et generaliter omnia alia, & ſingula in prædictis faciendum quomodolibet opportuna, & neceſſaria, & omne quod in prædictis procuratum, factumque fuerit ab eo, ratum ab Arte haberi debeat, & firmum; Adeoquod habeat vigore præſentis conſtitutionis plenum, liberum, generale, & ſpeciale mandatum ad lites, & cauſas ampliſſimũ ſi, & quatenus opus ſit, ſemper in ampliſſima forma extendendum, omni modo meliori, Et cum facultate ſubſtituendi, firmis tamen remanentibus auctoritatibus, & facultatibus Superius Priori Artis jam datis, & attributis.

## *De receptione Notariorum in Arte.*

### RUBRICA XLII.

QUia in omni Republica, & perutile, & neceſſarium eſt Tabellionatus officium, per quod placida vota, & hominum geſta perpetuæ traduntur memoriæ, certiſque firmantur Inſtrumentis; Et in Arte Mercantiæ antiquitus ſemper ſervatum fuit, plures habere Notarios, & Tabelliones publicos; Ideo hac præſenti Conſtitutione ordinamus, quod quando aliquis publicus Notarius, ſivè Tabellio voluerit, ſe recipi in Notarium, & Tabellio-

bellionem Artis Mercantiæ, adire debeat DD: Conſules, eiſque deſiderium ſignificare ſuum, eorumque ſuper hoc auxilium, & favorem petere, qui D D: Conſules, cum ſciverint, neceſſariam eſſe Tabellionis obtentionem in Arte, & cognoverint eum eſſe illius integritatis, & ſufficientiæ, et qualitatis, qualis convenit pro honore, et utilitate, tum Artis, tum etiam Tribunalis illius, eidem notulam Iuratorum dari mandent, ad hoc ut poſſit etiã aliis Iuratis quod optat, petere, quibus peractis, DD: Conſules debebunt ad Colloquium, de more Iuratos convocari facere, et petitionem talis Notarii eiſdem ſignificare, Qui ſi conſulerint, fore convocandam adunantiam, convocari mandent eam, et in ea proponant petitionem illius, et cum conſuletur, quod ad partitum ponatur, partitum poni debeat ad buſſulam, et fabas albas, et nigras, et quatenus in partito reddantur duæ partes de tribus ad minus votorum favorabilium, tunc, et eo caſu intelligatur, et ſit legitimè obtentus pro Notario Artis Mercantiæ cum honoribus, et oneribus, et emolumentis ſolitis, et conſuetis, ſi autem plures uno, eodemque tempore concurrerent, et unus tãtum obtineri deberet, tunc, et eo caſu ſervetur quod ſupra in partitis DD, Conſultorum ordinatum fuit.

## *De Iuramento Notariis dando in eorum receptione.*

### RVBRICA XLIII.

NEc Tabellio ſine ſolemini Iuramento admittetur in Arte propter gravitatem, et inportantiam officii, et Ideo debebit quilibet Tabellio legitimè in Arte obtentus, in publica Iuratorum Adunantia, ad hæc legitime congregata, ſe perſonaliter togatum præſentare, in jure jurando promittere, mandatis D D: Conſulum ſemper firmiter parere, conſtitutiones Artis Mercantiæ, tam factas, quam infuturum faciendas, et ſignanter perſonam, et officium Notariorum complectentes, inviolabiliter attendere, et ſervare, à Iuriſdictione DD: Conſulum nunquam declinare, officium ſuum ſollicitè, fideliter, et diligenter exercere, et omnia alia facere, quæ ipſius quoquo modo tangunt officium, et quilibet diligens fidelis, et ſolicitus Notarius tenetur, et obligatus eſt, in cujus Iuramenti actu etiam ipſe ſolvet in manibus Prioris Florenos ſex monetę argenteæ, et deinde ſolitum Simphoſium omnibus præberi curabit.

## De Notariorum Artis officio.

### RVBRICA XLIV.

NOtarius autem, et Tabellio, cum ſit Reipublicæ ſerviens, debet in omnibus Artis Adunantiis intervenire, niſi aliter ei à DD: Conſulibus ordinatum fuerit: Et fideliter notare propoſita per DD: Conſules facienda, conſilia reddenda, et determinatione, faciendæ fideliter, et ſecretè partita omnia recipere, omnia accuratè in Libris Adunantiarum Artis deſcribere, mandata, in Adunantiarum executionem de ordine DD: Conſulum Sigillo Artis munita, et in ſolitis Regiſtris copiata conſcribere, Inſtrumenta omnia pro Arte Mercantiæ neceſſaria, ad omnem DD: Conſulum, et Prioris Artis mandatum, rogare, et in Libris Artis deſcribere, ſuoque ſolito ſigno, ad hoc ut plenaria eis fides adhibeatur roborare, ad Tribunal Artis continuè, præcipuè diebus iuridicis, pro publico munere ſuo explendo aſſiſtere; Et ſolitas, non autem majores mercedes à litigantibus coram DD: Conſulibus recipere, et generaliter omnia alia facere laudabiliter debebit, Quæ ipſius quoquo modo tangunt, officium omni modo meliori.

## De Iuramento præſtando Mercatoribus eligendis ad Officium Decemviratus.

### RUBRICA XLV.

QVià honoris Reipublicæ Peruſinæ finis eſt officium Decemviratus, et ſummæ eſt importantię, quod laudabiliter exerceatur, ideo antiquiora ſectamenta, etiam amplectentes decernimus, et ordinamus: Quod Iurati illi, qui ad officium Decemviratus, aſſumentur, in adunantia Artis Mercanriæ, antequã Palatium ad officium ſuſcipiendum ingrediantur, debeant coram DD: Conſulibus, tunc in officio præſidentibus jure jurando promittere officium Decemviratus prædicti benè, fideliter, & diligẽter exercere, unquam intervenire in aliquo Conſilio, vel tractatu, in quò contra honorem; & dignitatem, & utilitatem Artis tractaretur, & pro poſſe omnia, contra Artem facientia, removere, & ad majorem cautelam, ea omnia DD: Conſulibus notificare, & generaliter omnia alia facere, exequi, & obſervare, quæ promiſit in receptione ſua in Arte, & ad quę, uti bonus Artis Mercantiæ Iuratus tenetur, omni prorſus exceptione remota; Et florenum unum in moneta argentea Priori Artis, de more ſolvere debebit.

De

## *De Obedientia à DD. Prioribus DD: Conſulibus præſtanda.*

RVBRICA XLVI.

QVia viri, qui ad officium Decemviratus pro Arte eliguntur, tanquam Iurati Artis eliguntur, & uti tales mandatis DD: Conſulum Artis, omnibus illius præſidentibus Iuratis obedire debent. Ideo hac conſtitutione Statuimus, & ordinamus, quod non ſit grave Iuratis ipſis ad officium Decemviratus aſſumptis, etiam durante eorum officio, mandatis DD: Conſulum in omnibus parere, parereque debeant ſub pœna D D: Conſulibus beneviſa.

## *De Sindicatu non concedendo Officialibus eorum Officio durante.*

RUBRICA XLVII.

SIndicatorum electio ſummæ importantiæ eſt, & quia ex indultis Apoſtolicis, ad Magiſtratum Decemvirorum in hac Peruſina Civitate illorum electio ſpectat; Ideo hac noſtra ſanctione, antiquiora etiam mandata ſequentes, ſtatuimus, & ordinamus, quod Iurati Artis Mercantiæ, qui ad officium Decemviratus pro tempore erunt, non debeant alicui D. Officiali, aut Iuſdicenti in Peruſina Civitate Sindicatus concedere, nec Sindicatores eidem eligere, niſi prius erit finitum, & terminatum totaliter ejus officium.

## *Quod fiat Liber ſervandorum per Priores Palatii.*

RVBRICA XLVIII.

AD hoc ut melius ſciant qui ad officium Decemviratus pro Artæ eliguntur quæ eis obſervanda erunt circa concernentia Artem, & illius honorem, tenore præſentium, ordinamus, quod fiat liber, in quò deſcribantur omnia infraſcripta, per Priores ipſos ſervanda, & conſignetur eiſdem Prioribus, qui teneantur omnia ea firmiter attendere, ſub pœnis in eis contentis, & in fine eorum officii, aut ſucceſſoribus, aut Priori dictæ Artis, conſignare.

Ser-

## *Servanda per Priores Palatii vulgari Sermone ſcripta ad maiorem eorum intelligentiam.*

### RUBRICA XLIX.

DOveranno quei Signori, che all' offizio del Capo, e Coda del Magiſtrato de' Signori Priori di queſta Illuſtre' Città di Perugia, per li tempi, per l' Arte della Mercanzia, ſaranno eletti, pigliare per Inventario di loro propria mano ſottoſcritto tutto quello, che dall' Arte per il Priore di quella ſe gli conſegnarà in Palazzo nelle ſue Stanzie, per ſervizio dell' offizio, e perſona ſua.

Haveranno l' occhio, che li mobili, che per Inventario ſe gli conſegneranno nelle ſtanzie, che per ſua abitazione, ſe li aſſegneranno à tempo loro, non ſi deteriorano, ſe non quanto un' ordinario uſo loro richiede, mà che il tutto ſi conſervi in quel miglior eſſere, che ſarà poſſibile.

Finito il loro offizio, doveranno fare chiamare il Prior dell' Arte, e renderli conto, e reſtituirli, tutto ciò, che in principio del ſuo offizio gli fù conſegnato.

Piglierà il primo Priore in principio del ſuo officio la chiave degl' officii publici, e la chiave del Santiſſimo Anello di noſtra Signora la Vergine Maria, che in mano di eſſo Capo ſi ritengano, & à neſſuno altro conſegnerà quelle, fuori delle neceſſità di ſervirſe di eſſe, ſe non in fine dell' offizio ſuo, al ſuo ſucceſſore, ò in ſua aſſenzia, al ſecondo Priore per l' Arte noſtra ſuo Collega.

Haverà buona cura detto primo Priore, che in principio del Suo Magiſtrato, dal ſecondo Priore ſuo anteceſſore ad eſſo, & non ad altri ſi conſegnino il Campanello, e Sigillo publici, ed il ſecondo Priore, ancor lui avertirà per parte ſua ſervare il medeſimo.

Sapranno che in abſenzia, ò altro legitimo impedimento, del primo Priore, l' offizio ſuo doverà eſſercitarlo il ſecondo, ed il primo al ſimile doverà fare il medeſimo in abſenzia, o altro impedimento del ſecondo.

Devano anco ſapere, che in abſenzia di alcun' altro Priore del loro Magiſtrato, la ſettimana, ed officio ſuo, doverà eſercitarla il detto Capo, ed in ſua abſenzia, il detto ſecondo Priore, con ritenerſi il Campanello, e altre preeminentie ſolite del Priore de Priori.

Nell' andare in publico, & publicæ reſidentiæ, e parlamenti avertiſcano di ſtare a' luoghi loro.

Do-

Digitized by Google

Doveranno avertire, che intervengano li Sig. Conſoli dell'Arte loro alli publici conſigli, all'ottentione di ciaſcuno de' famigli del loro Palazzo, all'ottentione di quello, che hà cura dell'Orologgio, al Coadiutore del Secretario, alla refettione del ſacchetto delli Elettori della Ruota di queſta Città, & altri publici, e ſoliti atti, havendo buona cura, che vi ſiano chiamati.

Non acconſentiranno, che ſi eleggano Sindicatori alli Signori Giudici, & altri Officiali di queſta Città, ſinche non ſarà terminato totalmente il loro officio.

De' caſi, e negocii publici gravi, dove dubbio alcuno occorreſſe, haveranno per bene di conſigliarſi con li Sig. Conſoli dell'Arte loro, aſſicurandoli, che vero è il proverbio, che più vedono due occhi, che uno.

Doveranno almeno una volta il meſe fare chiamare li Signori Conſoli, e con eſſi diſcorrere de' negocii publici dell'officio loro, e pigliare da eſſi quei ricordi, che ſaranno loro dati.

Sappiano, che la mazza d'argento principale, che avanti all'Illuſtr. Signori ſi porta per honore del Magiſtrato, fù fatta dall' Arte della Mercantia à ſue ſpeſe, e perciò haveranno l'occhio, che non ſi guaſti, e non comportaranno mai à patto alcuno la ſua alienatione.

Oltre di ciò anco non ſi ſcorderanno in tutto il corſo dell'officio loro fare quanto devono per honor loro & util publico, & hanno promeſſo all'Illuſtriſſimo Signore Superiore nell'aſſumptione dell' officio loro.

## *De Computiſta, & ejus ſalario.*

### RVBRICA L.

OFficium Computiſtę in Arte Mercantię perutile, & antiquum eſſe comperimus; antiquas, & laudabiles conſuetudines comendantes, hac etiam nova conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod ſemper unus ex Iuratis Artis Mercantiæ juxta electionem faciendam per rogitum Notarii à DD. Conſulibus ejuſdem Artis eſſe debeat, & ſit cum effectu Computiſta Artis dictæ, cujus officium erit in libro groſſo, per ſe ipſum retinendo, omni anno, ſi fieri poterit, ſin minus, ſaltem in fine cujuſlibet Prioratus, traſportare omnes partitas introituum, & exituum Artis Mercantię, & debitum, & creditum, debitorum, & creditorum omnium in libris Prioris deſcriptorum, & ſaldare creditoribus, & debitoribus Artis ad omnem requiſitionem eorum, debitum, & creditum ipſorum, & de ſaldis, & computis per eum faciendis fidem facere, & omnia alia facere, de quibus ipſe à DD. Conſuli-

ſulibus, & Priore Artis fuerit requiſitus pro ſervitio Artis officium Computiſtæ concernentia, cui pro ejus mercede, & ſalario ſolvi volumus florenos quatuor monetæ argenteę qnolibet anno, ſi munus ſuum juxta prædiãa diligenter expeleviſſe conſtabit, alias non.

## *De Viſitatoribus quolibet Anno in Arte eligendis.*

### RVBRICA LI.

VEritas magis, quam opinio inſpici debet; licet opinionem certam habere debeamus, quod Prior Artis noſtræ fideliter, & diligenter in omnibus munus expleverit ſuum, attamen, vt veritas magis eluceſcat, Viſitatorum officium in Arte, & prout antiquitus in ea ſemper fuit, eſſe decernimus; Et propterea ſtatuimus, & ordinamus, quod fiat Viſitatorum Bonorum Artis ſacculus, in quo deſcribantur omnes ipſius Artis Iurati, ex quibus quolibet anno ſortè quatuor extrhai debeant, qui ſic extracti pro tunc futuro anno à die eorum publicationis incipiendo, Viſitatores omnium Bonorum Artis prædictæ erunt, debebuntque ſaltem ſemel in anno perſonaliter cum Priore, & uno ex Notariis Artis noſtræ, viſitare tam Hoſpitalia, quam Bona omnia ipſius Artis, & laboratores, & partiarios dictorum Bonorum, & familiam ipſius Artis in domibus illius ad ſervitia Artis retineri ſolitam, & benè, & occulta fide inſpicere, & videre cubilia, & lectos, in quibus pauperes hoſpitantur ad pernoctandum, ſi mundè, & benè retinentur, ſi Poteria, & Bona Artis laborantur, & coltivantur, & in bono ſtatu, & eſſe conſervantur, ſi Ars in aliquo ultra id, quod licet, lęditur, ſi domus, & Bona Artis reaptationibus, & bonificationibus indigent, terminos, & confinia dictorum bonorum inſpiciant, & ubi terminata non fuerint, terminari curent per terminos, et ſigna apparentia; In quibus omnibus provideant, & provideri mandent, prout ipſis convenire magis videbitur, & eorum conſcientia dictabit eis; curentque, quod omnia per rogitum dicti Notarii in ſpeciali viſitationum libro deſcribantur: Viſita autem eorum completa, referent in prima, tunc proxima congreganda generali Juratorum adunantia quomodo bona, & facta Artis ſe habent, ad hoc vt ſi Arti placuerit, aliquid decretis ipſorum addere, vel minuere poſſit, ſin minus omnia per eos acta, & decreta in ſuo robore firmiter perſiſtant; Et Prior ea totali executioni demandare teneatur: Et quia evenire poſſet, quod aliquis Juratorum extractorum ad dictum officium non poſſet prædicta exequi, volumus, quod omne

ne id, quod à duobus ex dictis Viſitatoribus in defectum, & abſentiam aliorum factum fuerit, valeat, & teneat, non aliter, quod ſi ab omnibus inſimul ordinatum, & factum eſſet; Quibus Viſitatoribus, ſi prædicta cum effectu expleverint, faculam unam ceræ albæ pro quolibet, & quolibet luminari ponderis quatuor librarum per Priorem dari volumus; Non viſitantes autem à faculis prædictis in totum, & pro rata, prout munus expleverint ſuum privamus.

## *De Deſcriptione, & Planta omnium Artis Bonorum facienda.*

### RUBRICA LII.

AD hoc vt Artis Mercantiæ Stabilia melius, & ſecurius pro Arte conſerventur, & à quolibet in ipſius præjudicium in aliqua parte non fraudentur, ſtatuimus, & ordinamus, quod deſcriptio, & planta omnium Artis Mercantiæ ſtabilium cum ſolemnitatibus requiſitis fiat, & inter publicas Artis ſcripturas conſervetur, & propter hoc Prior omnem expenſam quomodolibet neceſſariam ſumptibus Artis faciat.

## *De viſitatione Iuratorum, & aliorum tempore luctus.*

### RUBRICA LIII.

OPus charitatis eſt afflictos viſitrae, & tempore luctus conſolare eos. Propterea hac pia conſtitutione duximus ſtatuendum, quod DD. Conſules Artis Mercantiæ cum illis Iuratis, & Notariis, quos habere potuerint, teneantur, & debeant quando ad meliorem evolaret vitam aliquis Iuratus, Conſultor, Sindicus, vel Notarius Artis dictę, ſive prædictorum Pater, Mater, Vxor, Fratres cum eis in familia viventes, aut eorum filii, accedere ad domos illorum, ſeu eorum hæredum, ad condolendum cum eis de morte jam occurſa, & conſolandum eos in dicta eorum meſtitia, & luctu.

## *De ſubveniendo Artis Egenis, & eorum filiabus dotandis.*

### RUBRICA LIV.

MEndicare erubeſcentibus elemoſinis pręſto eſſe Deo ſummopere placet; Et propterea hac pia, & laudabili conſtitutione ſancimus, quod eveniente caſu, in quo aliquis Artis Mercantiæ Juratus, Conſultor, Sindicus, & Notarius ad inopiam,

piam, & egeſtatem deveniret propter judicia Dei, quæ innumerabilia ſunt, vel propter nimiam, & inutilem familiam, vel alia de cauſa, dumodo non eſſet ex aliquo damnato crimine, propter quod efficeretur infamis, quæ omnia Deus, ſi non eſt pro animarum eorum ſalute avertat, DD: Conſules Mercantiæ cognita inopia illius; ſi ad eos etiam ſecretè recurreretur, poſſint, & valeant Priori Artis committere, quod illam elemoſinam vini, & panis, & aliarum rerum, & alicujus parvę pecuniarum ſummæ, tali egentj ſecretè dietim, ſeù aliter det, ſeù dari faciat diſcretjoni eorum, ſecundum petentis neceſſitatem beneviſam, ſi autem neceſſitas ad majora ſe extenderet, tunc, & eo caſu ad adunantiam generalem recurri poſſit cum ſpe ſe majora obtinendi, & caſu quo aliquam, vel aliquas, filiam, vel filias fœminas haberet, eaſque nuptui tradere, ſeu monacare vellet, & dotem, ſeu elemoſinam ſolvere non poſſet, tunc, & eo caſu ſi DD. Conſulibus recurſus habitus fuerit, debeant duos Iuratos pro qualibet Potta ſortè extrahendos vocare, qui DD. Conſules, & Iurati poſſint, & valeant per partitum, inter dictos DD. Conſules, & Iuratos mittendum, & per duas partes de tribus votorum favorabilium obtinendum, tali puellæ obtinere amore Dei uſque ad ſummam ſcutorum centum pro qualibet, & non ultra, dandorum ei cum nuptui tradetur, ſeu monacabitur per D. Priorem de pecuniis Artis per mandatum DD. Conſulum in forma expediendum.

## *De favore præſtando illis de Arte in eorum indigentiis.*

### RVBRICA LV.

ALter alterius onera portate. Cum requiſiti fuerint DD. Conſules, debebunt omni eis poſſibili favore, tam apud Superiores, quam alias particulares perſonas, juvare in eorum indigentiis, & neceſſitatibus, Iuratos, Conſultores, Sindicum, & Notarios Artis noſtræ, ad hoc ut tanto magis eis ſubveniatur in eorum indigentiis, & ab imminentibus liberentur periculis.

## *De accedendo ad Luminaria.*

### RVBRICA LVI.

OMni cultu, & veneratione ad Deum, Matrem, & Sanctos ejus devote recurrere debemus, devotis enim ſe clemens, & parcens prebet Deus, ſubveniuntque Mater, & Sancti ejus: Et ideo nos noſtrorum majorum ſectamenta ſequentes, ſtatuimus, & ordinamus, quod in quatuor principalioribus luminaribus fieri

ri ſolitis in hac Peruſina Vrbe, ſcilicet in Luminare Sancti Coſtantii die 28. Ianuarii, in Luminare S. Herculani die ultima Februarii, in Luminare propter Indulgentias apud Eccleſiam S. Dominici die ſecunda Auguſti, & in Luminare ad Eccleſiam Montis Lucidi in vigilia Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis die 14. Auguſti cujuſlibet anni debeat ſemper convocari, & coadunari generalis adunantia Iuratorum, Conſultorum, Sindici, & Notariorum Artis Mercantiæ, Qui cum faculis cerę albę conſueti ponderis ſumptibus Artis omnibus per Priorem dandis poſt DD. Conſules bini, bini unuſquiſque ad locum ſibi contingentem ſecundum ejus in Arte obtentionem incedere teneatur ad Eccleſias in dictis diebus viſitari ſolitas, ibidemque omnes Deum devotè deprecari debebunt pro Civitate, & Populo Peruſino, & Arte eorum, in dictis autem luminaribus intervenientibus Prior Artis ſolita Bibalia ſumptibus Artis prebere curabit, in quibus duplicatam portionem Conſulibus in honorem Conſulatus, Priori, & Notariis propter eorum labores concedimus; Alios vero Iuratos non intervenientes ad luminare omni portione in dicto luminari dari ſolita privamus, niſi ſint ægroti, ſeù aliter à Civitate propter negocia Artis, & Publici abſentes.

## *De faculis quibuſdam de Arte in luminaribus dandis.*

### RVBRICA LVII.

Antiquam Artis conſuetudinem confirmantes, mandamus, quod Prior Artis ſine aliquo alio mandato ſibi faciendo teneatur, & debeat in quatuor principalioribus luminaribus, ſuperius in præcedenti Rubrica expreſſis, dare ſumptibus Artis DD: Conſulibus, Conſultoribus, Viſitatoribus, Procuratori, & Notariis Artis ad luminaria prædicta accedentibus unam faculam cerę albę pro quolibet, & quolibet luminari ponderis librarum quatuor pro qualibet facula, addentes, quod non obſtantibus his, nihilominus in dictis luminaribus conſumere poſſint alias faculas Artis, prout ab aliis Artis Iuratis conſumitur, quæ tamen Conſulum faculæ in luminaribus conſumandæ debeant eſſe ponderis librarum quatuor.

## *De Cera danda in Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti.*

### RVBRICA LVIII.

CHriſti Corporis Sanctiſſimum Sacramentum omni honore digniſſimum veneremur: Ideo ordinamus, quod Iuratis, Procuratori, & Notariis Artis noſtræ in die Corporis Chriſti ad ſolemnem Proceſſionem collegialiter accedentibus dari debeat per Priorem ſine alio mandato ſumptibus Artis, una facula pro quolibet ceræ albę ponderis trium librarum, quam in honorem tanti Sacramenti in dicta Proceſſione ſemper accenſam portare teneantur, volentes per unumquemque lucrari quod ex dicta facula, dicta proceſſione facta, ſupererit, quę facula, & non alia ad dictam Proceſſionem portari debeat, ſub pœna ammiſſionis illius.

## *De auctoritate DD. Conſulum in multando illos de Arte.*

### RVBRICA LIX.

MUltoties nimia benignitas eſt peccatum. Et ideo hac noſtra conſtitutione ordinamus, quod DD. Conſules poſſint, & valeant pœnas eiſdem omnibus inconcordia bene viſas, citra tamen ab Arte caſſationem, Priori, Iuratis, Conſultoribus, Sindico, & Notariis imponere in omni caſu, in quo delinquerent, aut in non obſervando conſtitutiones Artis, aut in committendo aliquid contra honorem, & utilitatem illius; Et hoc in caſibus, in quibus per Artis conſtitutiones ſpecialis pœna impoſita non eſſet.

## *De viſitatione Hoſpitalis per DD. Conſules facienda.*

### RVBRICA LX.

QVia precipue Ars Mercantiæ ſub humeris DD. Conſulum requieſcit. Ideo hac conſtitutione ſancimus, quod ultra alia, què DD. Conſules pro debito eorum officii exequi debebunt, teneantur etiam, & debeant ſaltem bis in quolibet ſemeſtre Hoſpitale Artis Mercantiæ ſitum in P. S. A. viſitare, non obſtante quod ſub cura Prioris Artis ſit, & Viſitatores habeat ad hoc, ut dum placuerit Arti opus charitatis in eo exercere, tanto melius, & diligentius exerceatur, & Hoſpitalarium illius interrogare circa curam, & regimen dicti Hoſpitalis, & oculis propriis inſpicere lecta, lintheamina, cohopertas, & alia, ſi ſunt in illo bono eſſe,

in quo eſſe debent, ad hoc ut charitatis opus in pauperibus hoſpitandis tantò laudabilius exerceatur, providendo, & mandando circa curam, & regimen illius, ea, quæ providendum eſſe ad Dei honorem, & pauperum hoſpitandorum commoditatem noverint convenire.

## *De Livellis recipiendis in die feſtus omnium Sanctorum.*

### RVBRICA LXI.

IN die feſtus omnium Sanctorum cujuſlibet anni DD. Conſules, Prior, Procurator, & Notarii Artis noſtræ accedere teneantur, & debeant de mane, Eccleſiæ præcepto circa Miſſæ aſcultationem prius adimpleto, ad domos Artis Mercantię in P.S. A. ibidemque recipere à livellariis dictæ Artis, livella dictæ Arti debita pro ejuſdem Artis livellariis domibus, & bonis, in quo die DD. Conſules, ſi aliquod dubium in ſolutione dictorum livellorum fuerit, viribus Artis, & livellariorum auditis, manu regia terminent, prout eorum conſcientia dictabit, & ſi quid amore Dei alicui pauperculæ perſonę pro illa vice tantum de ſolutione ſoliti livelli remittere eis placuerit, remittant, quibus DD. Conſulibus, Sindico, & Notariis à Priore Artis prandium in dictis domibus ſumptibus Artis de more fiat.

## *De ſolutione Doghanæ.*

### RUBRICA LXII.

QVoſlibet Mercatores Artem Mercantiæ exercentes, & in matricula Iuratorum dictę Artis non deſcriptos ſecundum formam ſtatutorum, & ordinamentorum communis Peruſiæ, ad ſolidorum viginti ſolutionem pro quolibet, & quolibet anno dictę Arti pro Doghana teneri volumus; Quę doghana exigatur, & exigi poſſit pro Arte, prout, & quando DD. Conſulibus, ſeu Artis Priori videbitur, & placebit.

## *Quod DD. Conſules commendatam habeant Almam Sapientiæ Novæ Domum.*

### RVBRICA LXIII.

ALmam Domum Sapientiæ Novæ hujus Peruſinæ Urbis ſub cura, & regimine, tum Prioris clauſtralis Cathedralis Peruſinæ, tum DD: Conſulum Artis noſtræ Mercantiæ ex fundatoris beneplacito, & Apoſtolicis Indultis exiſtentem, omnino commēdatam habere DD: Conſules debebunt, & omnem curam adhibere

bere, quod DD: Scholares, & univerſa familia dictæ Domus Chriſtianè, & laudabiliter vivat, & unuſquiſque munus ſuum expleat, & traditiones dictæ Domus impleat. Et eveniente aliquo caſu, in quo neceſſe eſſet, aliqua in dicta Domo non mediocris importantiæ ſtatuere, & ordinare, non erit grave ipſis DD: Conſulibus ea generali adunantiæ Artis Mercantiæ proponere, & ab adunantia ſuper eis conſilium, & favorem petere.

## *De Viſitatoribus Montis Lucidi.*

## RVBRICA LXIV.

QVia v. Monaſterium, & Reverendæ Moniales Montis Lucidi ſub Regula Divæ Claræ profeſſæ antiquitus fuerunt, hodieque ſunt ſub protectione Iuratorum Artis Mercantiæ; Ideo antiquas obſervationes ſectantes hujus capituli ordinatione duximus ſtatuendum, quod fiant brevia, in quibus omnia Iuratorum nomina hujus Artis noſtræ ſeparatim deſcribantur, de quibus quolibet anno ſorte extrahentur, prout extrahi volumus, tres, qui pro uno anno à die eorum publicationis incipiendo ſint dicti Venerabilis Monaſterii Viſitatores, & teneantur Monaſterium prædictum viſitare toties, quoties opus fuerit, indigentiiſque, & neceſſitatibus Monialium, & Monaſterii prædicti, cum requiſiti fuerint, præſto eſſe, diligenterque preſpicere debeant, ne durante eorum officio eidem Monaſterio, & Monialibus illius aliquod præjudicium, ſeù detrimentum fiat ab aliqua perſona.

## *De Superſtitibus Fabricæ* S. *Laurentii.*

## RVBRICA LXV.

QVia antiquitus ſub cura Iuratorum Artis Mercantiæ, & Cãbii hujus Peruſinæ Civitatis fabrica Cathedralis Eccleſiæ S. Laurentii ipſius Civitatis poſita eſt; Propterea ſervationes antiquas ſequi volentes providemus, & providendo ſtatuimus, & ordinamus, quod quolibet triennio DD: Conſules Mercantiæ una cum DD: Auditoribus Cambii convocari faciant adunantiam Iuratorum dictarum Artium in Palatio DD: Priorum Civitatis Peruſiæ, vel aliquo in loco eis beneviſo, & illis Iuratis, quos pro utraque Arte habere potuerint, proponant neceſſariam refectionem ſacculi ſuperſtitum dictæ fabricæ, & redditis conſiliis, quod ad refectionem deveniatur, tunc octo Iurati Artis Mercãtiæ per DD: Conſules proponendi, & quatuor Iurati pro Arte Cambii, per dictos DD: Auditores pariter proponendi, ad partitum



Digitized by Google

titum ad buſſulam, & fabas albas, & nigras more ſolito ſeparatim, & de per ſe mittantur, & in cartoſiis ſecretè recondantur, donec omnes poſiti fuerint, quibus peractis publicentur, & quatuor pro Arte Mercantiæ, & duo pro Arte Cambii, ex iis, qui plura vota favorabilia in dictis partitis habebunt obtinentur, qui in ſacculo ad hoc præcipuè facto, ponantur, & ex eis unus quolibet anno ſorte extrahatur, qui dicto ejus tempore durante ſit, eſſeque debeat ſuperſtes dictæ fabricæ, authoritatemque habeat, pecunias ad uſum fabricæ prædictæ deſtinatas erogari faciendi ad illam majorem dictæ Eccleſiæ utilitatem, prout ejus ſibi conſciētia dictabit.

## *De Interventu DD: Conſulum in refectione Sacculi Electorum Rotæ.*

### RUBRICA LXVI.

ANtiquiora ordinamenta ſequentes volumus, quod DD: Conſules hujus Artis noſtræ teneantur, & debeant intervenire juxta Apoſtolica indulta, & almæ Rotæ Peruſinæ conſtitutiones, in refectione Sacculi, & Deputatione, & obtentione Electorum dictæ Rotæ, prout ſemper hactenus ſervatum fuit.

## *De Sindicatoribus Rotæ Peruſinæ.*

### RVBRICA LXVII.

QVia Iurati Artium Mercantiæ, & Cambii hujus Peruſinæ Vrbis ſoliti ſunt Magnificos DD: Poteſtatem, Capitaneum, & Auditores almæ Rotæ ipſius Civitatis in fine eorum officii Sindicare, eorumque Sindicatum facere juxta Apoſtolica indulta, & conſtitutiones dictæ Rotæ, propterea nos modum his ultimis annis ſuper hoc ſervatum ſequi volentes; ſtatuimus, & ordinamus, quod fiant tot Brevia, quot ſunt nomina Iuratorum dictarum Artium, quæ in particulari Sacculo recondantur, & ex eis quando Rota per omnes quatuor Auditores uno, eodemque tempore terminabitur, tres ex eis ſorte extrahantur, quando verò per unum tantum, unus dumtaxat ſorte extrahi debeat: Qui viri ſic extracti ſint veri, & legitimi dictæ Rotæ Sindicatores, eoſque, & eorum Notarios, & Curiam Sindicari debeant, qui Sindicatores, ſi totam ſindicabunt Rotam, duos Cōſultores, & duos Notarios, ſi unum tantum Auditorem ſindicare debebunt, unum Conſultorem, & unum Notarium tantum

habe-

habere debebunt, præcedentque Mercatores Campſoribus.

## *De Communantia Stateræ.*

### RUBRICA LXVIII.

POndera juxta ſunt perque neceſſaria, ut unus quiſque, quod ſuum eſt conſequi valeat; Et quia communantia, & proventus Stateræ communis dictæ ad Artem Mercantiæ etiam ex forma Statutorum Civitatis hujus Peruſinæ ſpectat: Propterea nos hac noſtra conſtitutione Sancimus, quod ad D. Priorem Artis pro tempore ſpectet, ad publica bandimenta, & candelam accenſam ante portam audientiæ Mercantiæ, legitimis prius præcedentibus monitionibus, comunantiam, & proventus hujuſmodi Stateræ communis, niſi aliter ſibi rationabilibus de cauſis videbitur convenire, plus offerenti per tempus, & terminum. ſibi beneviſum locare, & concedere cum capitulis, conditionibus, & facultatibus ſolitis, & conſuetis, & hic inferius deſcriptis

## *Capitoli, e facoltà della Stadiera.*

### RUBRICA LXIX.

VEndaſi la comunantia della Stadiera della magnifica Arte della Mercantia (detta del Com mune) all' Arte predetta per antiqua conſuetudine, e poſſeſſo, e per li ſtatuti, & ordini della Città di Perugia ſpettante, con l' autorità, arbitrii, e facoltà in virtù di detti ſtatuti, e conſuetudine competenti, e qui di ſotto eſpreſſi cioè.

Non ſia alcuna perſona, tanto di queſta Città, e del Contado, quanto foraſtiera di qual ſtato, e conditione ſe ſia, che à modo alcuno ardiſchi ſotto qualſivoglia preteſto, cauſa, o colore, peſare, ne far peſare alcuna Mercantia d' alcuna ragione, ne alcun' altra coſa con altra Stadiera, che con la Stadiera della Magnifica Arte della Mercantia da libre cinquanta in sù di peſo, ſotto pena di ſcudi tre per ciaſcuno peſo, e ciaſcheduna volta, che contrafatto foſſe da incorrerſi ipſo fatto da qualſiſia contrafattore; Da qual' obligo ſi eccettuano ſolo li Macellari per quello, che vendeſſero, e compraſſero, pertinente all' arte loro del Macello, e non altrimenti.

Che con la detta, e non con altra Stadiera ſi devano peſare ogni ſorte di bombagia, lana, cera, ferro, piombo, ſtagno, acciaro, zuccaro, drogherie d' ogni ſorte, corame, alume, feccia, guato, & altre erbe da tenta, e generalmente ogn'altra ſpecie, genere, e ſorte di Mercantia, e coſa, che foſſe di peſo più di cinquanta libre ſotto la già detta pena. Che

Che veruna ſorte, o ſpecie di Mercantie, e coſe come di ſopra, che venduta, o in qualſivoglia modo contrattata foſſe, non ſi poſſa partire, dividere, diminuire, o ſeparare in qualſivoglia modo ſenza il peſo di detta Stradiera, & in fraude, e pregiuditio di quella, e ſuo Appaltatore ſotto la medeſima pena.

Che all'Appaltatore, e compratore delli emolumenti di detta Stradiera ſi deva pagare quatrini tre per ciaſcuno peſo, che ſi faceſſe, o fare ſi doveſſe, e ciaſcuna volta ſi peſaſſe dalle dette libre cinquanta in sù.

Che al pagamento di detti peſi, & alle pene, che da contrafattori s'incorreſſero ſiano obligati l'una, e l'altra parte in ſolido, & ogn'uno di eſſi poſſi eſſere aſtretto per il tutto.

Che all'eſſequtione delle pene, contenute ne preſenti capitoli ſi, poſſi procedere de facto, e ſenz'altra dichiaratione, per qualſivoglia officiale della Città di Perugia ad ogni ſemplice richieſta di detto Appaltatore, e ſe ſtia, e credere ſi debba in ciò al detto, e dichiaratione di detto Appaltatore con il ſuo giuramento, e con uno teſtimonio degno di fede.

Che le pene predette, quale da qualſivoglia perſona se incorreſſero, ſi devano applicare la metà alla Magnifica Arte della Mercantia, un quarto all' Appaltatore di eſſa Stadiera, e l'altro all'eſequtore, che ne faceſſe eſſequtione.

Che il detto Appaltatore ſia tenuto, e debba tenere la ſua Stadiera bene in ordine, e che ſia in modo giuſta, e reale, che veruno non poſſi querelarſi, che detta Stadiera non ſia tale, quale eſſer deve per utile publico: Et aſſiſtere in Piazza in luogo reperibile, acciòche ciaſcuno, che vorrà peſare con detta Stadiera, poſſi ſervirſi di quella; Et il Priore dell' Arte noſtra ſia quello, che bene ſpeſſo, non ſolo avvertiſca detto Appaltatore di queſto, mà anco reveda, e reveder facci detta Stadiera, acciò ſia ſempre tale, quale eſſer deve.

Che il medeſimo Appaltatore per più chiarezza, e per tor via le differentie, che in molti caſi potrebeno occorrere, ſia obligato, e debbia in un libro particolare tener conto di tutti li peſi, che farà della robba, che peſarà, e à chi le peſerà.

Che non eſſendo atto, o idoneo per ſe medeſimo ad eſercitare detto carico di peſatore publico, che ſia tenuto, e debbia mettere à detto officio un peſatore atto, e idoneo à tutte ſue ſpeſe, e non vè lo mettendo, poſſino li Sig: Conſoli, o Priore della Mercantia mettervelo eſſi à tutte ſpeſe di detto Appaltatore con quelle proviſioni, che più loro pareranno, al pagamento delle quali detto Appaltatore ſia, & eſſer debbia in tut-

tutto obligato ſenz'altra replica, o eccettione alcuna.

Che detto Appaltatore ſia obligato, e debbia pagare il prezzo dell'appalto predetto nel modo che ſi converrà ſeco, e non lo pagando ſi poſſi contro eſſo, e ſua ſigurtà, che perciò doverà dare, di fatto, e ſenz'altra citatione fare eſecutione reale, e perſonale per qualſivoglia officiale del Comun di Perugia ad ogni ſemplice richieſta del Priore di detta Arte.

Che il Priore dell' Arte per più aſſicurare quelli, che peſaranno à detta Stadiera, che dall'Appaltatore ſi terrà Stadiera giuſta, e giuſtamente ſi peſarà, debbia ſempre appreſſo di sè, o nell'audientia della Mercantia, o nelle Caſe dell' Arte retenere, o altra Stadiera giuſtiſſima, o marchi, e peſi, da' quali ſi poſſa vedere, e cognoſcere, ſe la Stadiera di detto Peſatore, e peſi da lui fatti ſaranno giuſti, o nò; e ritrovandoſi in detto Appaltatore, o ſua Stadiera fraude di ſorte alcuna, ſia in arbitrio de' Sig: Conſoli condennarlo in quell a pena, che più piacerà loro, quale ſia obligato detto Appaltatore pagare ſenza eccettione alcuna.

Che l'Appaltatore per l'oſſervanza de' preſenti capitoli, & pagamento del prezzo di detto appalto, ſia obligato, e debba dare idonea ſigurtà, una, o più à richieſta di eſſo Priore.

Che li Sig. Conſoli, che per li tempi ſaranno di detta Magnifica Arte della Mercantia, e non altri, ſiano, e con effetto eſſer debbano Giudici competenti in udire, vedere, e cognoſcere, decidere, e terminare ogni differentia, che in qualſivoglia modo, e per qualſivoglia cauſa naſceſſe tra detto Appaltatore, e qualſivoglia perſona, quali poſſano, e devano dette differentie udire, vedere, decidere, cognoſcere, e terminare di ragione, verità, equità di fatto ſommariamente, qual ſe ſia dì feriato non oſtante, ſi come più alli detti piacerà.

## *De Iuriſdictione in Montem Spinellum exercenda:*
## RVBRICA LXX.

QVia in erectione Montis Spinelli in hac Peruſina Vrbe per D. Sebaſtianum Spinellum Bo: Me: erecti idem Erector ad hoc, ut omnia, & ſingula dicti Montis negocia celeriter expediantur, voluit, & ordinavit, ac declaravit, quod in omnibus, & ſingulis litibus, cauſis, queſtionibus, & contraverſiis, quæ in futurum quomodolibet, quandocumque orirentur cauſa, & occaſione dicti Montis, tam inter Officiales, & quoſcumque Miniſtros dicti Montis ad invicem, quam etiam inter Officiales,

&

& Miniſtros omnes, aut aliquos dicti Montis ex una, aut inter quoſcumque alios dicti Montis debitores, ſive creditores ex altera, ſint meri Iudices DD: Conſules Artis Mercantiæ pro tempore, qui ſummariè, ſimpliciter, ac de plano, & ſecundum propriam, rectam eorum conſcientiam, omnimodam auctoritatem, facultatem, juriſdictionem, & poteſtatem habeant, dictas lites, cauſas, diſcordias, & differentias cognoſcendi, videndi, intelligendi, & fine debito terminandi, cum poteſtate faciendi, mandandi, exequendi omne id, & totum quod Iudices ordinarii facere, mandare, & exequi poſſent omni modo meliori, & quod nullus alius Iudex, vel Officialis ſuper prædictis adhiri, vel appellari poſſit, aut valeat modo aliquo: Rogando eoſdem DD Conſules, ut pro honore Civitatis Peruſiæ, & Civium, & incolarum ipſius utilitate, animaduertant Miniſtri dicti Montis, fideliter, & juſtè ſe gerant, & munus ſibi commiſſum expleant prout in teſtamento per eum condito rogato D. Marcello Petrogallo Notario Peruſino ſub die XXII. Auguſti M. D. LXXVIII. Et quia inſuper inter alios ſuos in dicto teſtamento hæredes, & dicti Montis Officiales, & Miniſtros inſtitutos, D. Priorem Magnificæ Artis Mercantiæ inſtituit; Ideo cupientes, quod bona dicti Teſtatoris, mens, & fides, quam habuit in DD. Conſules, & Priorem Artis noſtrę, non fraudetur, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod præfati DD. Conſules juriſdictionem eis à dicto Erectore Montis Spinelli datam exerceant, ipſius cauſas juxta facultates ſibi ab Electore datas, cognoſcant, & decidant, & Montem ipſum, eiuſque Officiales, & Miniſtros commendatos habeant; advertantque, quod Officiales dicti Montis, & Miniſtri fideliter, & juſtè ſe gerant, munuſque eorum expleant prout dictus Erector voluit, & ordinavit.

### *De Commendatum habendo Montem Conſulinum.*

### RVBRICA LXXI.

QVia Bo. Me. ſtrenuus miles Capitanus Raynerius de Conſulibus olim hujus Artis Juratus in erectione Montis Conſulini ad beneficium pauperum perſonarum, ad inſtar Montis Pietatis in hac Peruſina Civitate erexit, & inter alios dicti Montis Gubernatores, & Rectores elegit, & deputavit, eſſeque ſemper voluit duos primos Conſules, & primum Conſultorem Artis noſtræ, & in defectum abſentiæ, ſeu alicujus legitimi impedimenti eorum, aut alicujus ipſorum, ſuccedere debeant, & locum ſibi vindicent alius, ſeu alii DD. Conſules, & Conſultor

in

in officio Conſulatus , & Conſultoratus Artis prædictæ præcedentes, dictique Montis Notarius ſemper ſit unus ex Notariis dictæ Artis, prout in teſtamento ab eo condito per acta D. Tadei Bonci dictæ Artis Notarii. Idcirco volentes, & intendentes, quod pia mens dicti Teſtatoris, & Montis prædicti fundatoris in aliquo non fraudetur, tenore pręſentium ſtatuimus , & ordinamus, quod DD. Conſules, & Conſultores pro tempore Artis noſtrę, qui pro tempore Gubernatores; & Rectores dicti Montis erunt, commendatum toto corde Montem ipſum habeant, animumque advertant, quod Officiales , & Miniſtri dicti Montis piè, & caritativè ſe gerant in omnes, & munus eorum fideliter expleant, & quod in omnibus ordinata per dictum Teſtatorem ſuum ſortiantur effectum , & bona dicti Teſtatoris mens in aliquo fraudetur.

## *De Officio Annonæ, & eius Iuriſdictione exercenda.*

## RVBRICA LXXII.

SVmmæ importantiæ eſt officium abundantiæ in hac Peruſina Civitate, ad hoc ut neceſſitatibus quotidianis victus populi Peruſini provideatur: Ideo hac noſtra conſtitutione, etiam antiqua ſectamenta amplectentes ſtatuimus, & ordinamus, quod ſemper dui primi Conſules, & in defectum, abſentiam, ſeu aliquod ipſorum, ſeù alicujus eorum legitimuum impedimentum, ſequentes ſint, eſſeque debeant Officiales Annonæ, & abundantię Civitatis & Comitatus Peruſię, & de numero,& officio X. Officialium dictum officium eligi ſolitorum,adeo quod ſemper duo ex DD; Conſulibus dictæ Artis ex neceſſitate de numero dictorum Officialium ſint ; & primus Conſul, & in abſentiam illius primus ex ſequentibus DD: Conſulibus omnibus aliis pręſit: Quibus omnino dictum officium, & illius iuriſdictiones ſummopere comendamus; advertentes quod Notarii dictæ Artis Noſtræ ſunt, eſſeque debent ſemper Notarii dicti officii, ab eiſque, & non ab aliis facta, & geſta ipſorum DD: Officialium , & omnia ad dictum officium concernentia ſcribi debent ; Quas ſcripturas conſervari volumus de More cum aliis Tribunalis, & Artis Mercantiæ ſcripturis in Archivio dictæ Artis.

## *De Scripturis in Archivio Artis conſervandis.*

## RUBRICA LXXIII.

QVia in Domibus Artis noſtræ in P. S. A. adeſt Archivium, in quò conſervantur, non ſolum ſcripturę , & Libri Mer-

Mercatorum, aliorumque Artificum, & aliarum Artium, operantium, verum etiam Scripturæ ad Tribunal dictæ Artis, ad officium Annonæ dictæ Civitatis, & ad Almam Domum Sapientiæ Novæ ſpectantes. Ideo hac præſenti conſtitutione Archivium prædictum ſub cura, & cuſtodia Notariorum Artis Noſtræ exiſtens, omnino cum diligentia cuſtodiri volumus, mandamuſque, quod etiam in futurum omnes ſcripturæ, & libri per Notarios ipſos in eàdem Arte factę, & faciendæ ad Artis Tribunal, Mercatores, alioſque Artifices, & officium Annonæ, Sapientiam Novam, & Montem Conſulinum de novo erectum, ſpectantes, cum expeditæ fuerint de tempore in tempus, in eodem Archivio ordinatè reponantur, & perpetuis, futuris temporibus in eo ad publicum beneficium, perpetuamque rerum, geſtarum memoriam conſerventur.

## *De Iuriſdictione DD: Conſulum in cognitione cauſarum.*

## RUBRICA LXXIV.

ANtiquiſſimum Artis Mercantiæ hujus Auguſtæ Civitatis Tribunal in Iuribus, & facultatibus ſuis ſervari volentes: Hujus capituli noſtri Sanctione ſtatuimus, & ordinamus, quod DD: Conſules pro tempore Artis dictæ juriſdictionem habeant, cauſas omnes, quæ ad dictæ Artis Tribunal coram eis moverentur, & dè quibus, tam per formam ſtatutorum, & ordinamentorum communis, & populi Peruſini, quam per antiquum hactenus ſervatum ſtylum, & laudabilem, & utilem Civitatis hujus conſuetudinem, cognitionem habeant, & in quibus eorum juriſdictio prorogaretur videndi, cognoſcendi, fineque debito terminandi Summariè, & de plano ſinè ſtrepitu, & figura Iudicii, & Iudiciorum ſolemnitatibus non ſervatis, & ſententiare, diffinitivè, vel interlocutoriè de Iure, vel ſecundum æquitatem, & bonam conſuetudinem dictæ Artis, juxta formam dictorum, ſtatutorum &, ſtylum in Arte prædicta ſervari ſolitum omni modo meliori.

## *De non appellando per illos de Arte à Præceptis, & Sententiis DD: Conſulum.*

## RUBRICA LXXV.

AD hoc, ut tanto magis Mandatis, præceptis, monitionibus, ſententiis, & condemnationibus DD: Conſulum pareatur per iuratos, Conſultores, Procuratorem, & Notarios Artis No-

ſtrę,

ſtræ, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus prę-dictorum audeat, vel præſumat quoquo modo, vel quęſito colore, jure, vel cauſa, a mandatis, præceptis, ſententiis, & condemnationibus contra eos ferendis, & pœnis imponendis eis per DD: Conſules Artis noſtæ dictæ, & præfatis ipſius Artis, & obſervationem ſtatutorum, & ordinamentorum illius concernentibus appellare, recurrere, & reclamare modo aliquo, niſi ad generalem dictæ Artis noſtræ adunantiam, ſub pœna dupli, quæ pœna, nec per ipſam adunantiam remitti aliquo modo poſſit.

## *De Pœna illorum de Arte declinantium à vera Iuriſdictione DD. Conſulum.*

## RVBRICA LXXVI.

OMnes Iuratos, Conſultores, Sindicos, Notarios Artis Mercantiæ teneri volumus pro cauſis, litibus, & Negociis ipſorum, & de quibus DD: Conſules Mercantiæ Iuriſdictionem habent, ad faciendum dictas cauſas, lites &c. Coram ipſis DD: Conſulibus, à Iuriſdictione quorum ipſos declinare non poſſe modo aliquo decernimus ſub pœna florenorum quinque Arti Mercantiæ applicandorum, & per incurſorem ipſo facto incurrenda, & ammiſſionis jurium ſuorum in caſu declinationis.

## *De Iure Reddendo.*

## RVBRICA LXXVII.

OMnibus Iuridicis diebus bis in quolibet die, de mane ſcilicet, & de ſero, horis competentibus in Audientia Artis noſtræ togati cum Palliis dictę Artis ad ſolitum dictę Artis Tribunal. DD: Conſules omnes, & quatenus omnes adeſſe non poſſent, tres, & niſi tres, duo, & niſi duo ſaltem unus ſimul cum Priore Artis in abſentiam aliorum Conſulum, Ius reddere teneantur, niſi aliter pro conſiliis, & negociis publicis, reſidere nequaquam poſſent: Reſidebuntque ad Ius reddendum unicuique petenti ad dictum Iuris Tribunal, donec omnes cauſas coram eis proponendas audierint, & in eis quæ facienda duxerint, pronunciaverint. Pro quibus eorum Seſſionibus ab Arte conſequi volumus bajocchos quinque pro qualibet Seſſione, quæ eorum Seſſiones ad dictum effectum per Notarios Artis puntabuntur, quas in fine cujuſlibet ſemeſtris D. Priori Artis in notam per Notarios ipſos datas, Tenebitur ipſe Prior unicuique portio-

nem

Digitized by Google

nem ſuam ad dictam rationem, ſine alio mandato in moneta argentea ſolvere juxta dictam notam.

## *De modo procedendi in cauſis civilibus coram DD: Conſulibus.*

### RVBRICA. LXXVIII.

QVia ex forma ſtatutorum hujus Peruſinæ Vrbis, & bona Artis Mercantiæ conſuetudine cauſæ ad Tribunal Artis prædictę ſummariè cognoſci, decidi, & terminari debent, ideo hac noſtra conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus; Quod facta coram DD. Conſulibus dictę Artis ab aliquo Mercatore, vel non Mercatore, vel aliqua alia perſona, petitione pro quacumque pecuniarum, rerum, & bonorum ſumma, & quantitate ſibi quomodolibet debita à quavis perſona, communi, corpore, collegio, & univerſitàte, DD. Conſules tunc præſidentes debitorem, ſeu debitores ipſos citari mandent perſonaliter, vel domi, prout fieri poterit, quatenus infra triduum, ſi in Civitate, & Suburbiis Peruſiæ, & infra quinque ſi in comitatu degerit, debeat ſic petenti ſatisfeciſſe dę contentis in petitione coram eis ſummariè facta, qui ſi non comparuerit, & debitum illius ſummam quinque florenorum non exceſſerit, ad petita, & expenſas condemnari debeat, & pro eis licentiam, & mandatum exequtivum decernant in forma, & exequi mandent; Si vero debitum petitum dictorum florenorum quinque ſummam excederet, tunc ad dicendum causam quare ad petita, & expenſas condemnari, & pro eis mandatum relaxari, & exequi non debeat pro certa die, & hora citari faciant, qui ſi in termino non comparuerit, pariter ad petita, & expenſas condemnari, & contra eum pro prædictorum ſatisfactione licentiam, & mandatum exequtivum in forma concedatur, & exequi mandetur, ſi verò comparuerit, petitorum copias petierit, concedatur eidem cum termino trium dierum ad opponendum contra, & niſi aliquid oppoſuerit in termino, ſi debitum quinque florenorum ſummam non exceſſerit, tunc ad petita; & expenſas condemnetur, & mandatum exequtivum ut ſupra relaxetur, ſi vero exceſſerit, ad videndum condemnari, & mandatum relaxari pro certa die, & hora citetur, & in contumaciam, niſi comparuerit condemnetur, & mandatum relaxetur, & exequatur ut ſupra, ſi vero comparuerit, & computa fieri petierit, ſi pars erit præſens cogatur ad faciendum ipſo facto, ſi DD. Conſulibus videbitur, ſin autem pro certa die, & hora moneatur, vel citetur

ad

ad computa facienda, & niſi comparuerit, ſi debitum non exceſſerit ut ſupra, ad petita, & expenſas condemnetur, ſi verò exceſſerit, ad videndum condemnari, & relaxari mandatum pro certa die, & hora iterum citetur; Si vero in termino citationis ad faciendum computa comparuerit, computa fiant coram DD. Conſulibus, quibus factis, ſi concordes erunt, cauſa prout in concordia erunt, terminetur, ſi verò non, terminus Reo decem dierum, vel alius DD. Conſulibus bene viſus ad ſolvendum quod remanſerit debitor aſſignetur, qui ſi non ſolverit mandatum exequtivum, ut ſupra pro petitis, & impenſis relaxetur, quando vero in ipſis computis faciendis concordes non fuerint, ipſi DD. Conſules partibus auditis in contradictorio, diffinitivè pronuntiare poſſint in abſolvendo, vel condemnando in totum, vel in partem, prout ipſis convenire videbitur; Si verò diffinitivè pronuntiare voluerint terminum unum, vel plures ſimpliciter, vel peremptoriè aſſignare poſſint uni, vel ambabus partibus ad probandum incumbentias in cauſa, ſeu alias prout eis videbitur, quo, vel quibus, termino, vel terminis elapſis, vel ſecundum acta, & probata ſimpliciter, vel ſecundum ea, & à partibus audita pronuntiare poſſint, & valeant juxta facultates, ut ſupra eis attributas; Si vero pars ſcripturarum, vel partitarum, quarum vigore debitum petitur, copiam petierit, per actorem copia petita produci debeat, & ſi originalia voluerit pro copiis collationandis, producantur, & cum originalibus copiæ collationentur, qua collatione facta, ſi debitum non faſſus fuerit, & terminum ad ſolvendum non petierit, ſeu ſolverit, citetur pro certa die, & hora ad dicendum cauſam quare non debeat contra ipſum relaxari mandatum, & ſi in termino non comparuerit, ad petita, & expenſas condemnetur, & pro eis mandatum executivum relaxetur, ſi vero comparuerit, in juribus ſuis audiatur, & cauſa prout iuris erit expediatur; Si vero debitum petitum in totum, vel in partem negaretur, tunc, & eo caſu ſoluto negatorum decimo juxta Rubricam de ſolutione decimi, dilationes, & termini actori, & reo inſimul, & communes ad probandum incumbentias in cauſa aſſignentur tres, ſcilicet prima octo, ſecuda ſex, & tertia quatuor dierum, quæ poſſint tamen à DD. Conſulibus abbreviari juxta illud, quod eis convenire videbitur, in quibus terminis ſummariè ſuper petitione, & reconventione utriuſque partis, Si capitula, & interrogatoria data non fuerint, vel ſuper capitulis, & interrogatoriis ab utraque parte dandis, teſtes ad juramenta, & examen per Notarios tantum, vel per Notarium, & Cnnſultorem

re-

recipiantur, & examinentur; Quos ſi neceſſe fuerit, cogere etiam poſſint juris, & facti opportunis remediis ad ſe examini prædicto ſubiciendum, & teſtimonium veritatis perhibendum, ut veritas eluceſcat, quibus peractis, publicato proceſſu, & dictis teſtium, ſeu alias juribus aliis exhibitis, & viſis, Reo ad audiendum eorum voluntatem, vel voluntatem, & ſententiam citato in termino, cauſam per decretum, ſeu per ſententiam cum voto Conſultoris, vel ſine, prout eis magis placuerit juxta facultates eis attributas terminent, & decidant, ſi vero alios terminos ante cauſarum expeditionem aſſignare voluerint; vel alias in cauſis prædictis procedere eis placuerit, dilationes, & terminos abbrevient, & prorogent in majori brevitate, & celeritate ad cauſarum expeditionem deveniat, prout cauſarum, & perſonarum qualitas expoſtulabit, ipſique convenire decreverint omni modo meliori.

Jn cauſis verò confeſſis, terminus decem dierum Reo, ſi petierit ad ſolvendum, aſſignetur, quò elapſo, mandatum exequutiuum, & licentia contra eum relaxetur, & exequatur, ſinè aliâ citatione.

Jn cauſis autem miſerabilium perſonarum, vel mercedum, alimentorum, forenſium contra Cives, & comitatenſes, dilationes abreviari, & ad cauſarum expeditionem celerius, quam fieri poterit, deveniri volumus, tribus, ſeu quatuor tantum diebus ad ſolvendum in confeſſis aſſignatis quibuſcumque non obſtantibus.

In cauſis vero miſerabilium perſonarum contra divites, & mercedum, alimentorum, & forenſium, & in cauſis, in quibus adſunt obligationes Camerales, vel alias in illis cauſis, in quibus feriis renunciatum eſſet, procedere, & ad earum expeditionem devenire poſſint, feriis prçterquam in honorem Dei, non obſtantibus.

In cauſis autem, in quibus aliqua pars peteret pronuuciari, & diſiniri per Iuramentum litis deciſiuum, ſeu quas DD: Conſules per tale Iuramentum diſinire voluerint, poſſint, & valeant tale Iuramentum, in cauſis tamen à Iure permiſſis, deferri, facere, & cauſam per Iuramentum prædictum decidere, etiam altera ex partibus prædictis reclamante.

In cauſis verò non proviſis, & in quibus ex neceſſitate forma ſtatutorum, ſeù ſtylus, & conſuetudo Curiæ Peruſinæ ſervari deberet, ſtatuta ipſa, & conſuetudinem ſervari volumus omni modo meliori.

Et quia in Veteribus Conſtitutionibus Artis Mercantię ordinatum erat, quod cauſas coram eis vertentes infrà bimeſtre tempus

pus omnino expedire deberent; nos conſtitutionem illam refor- mantes, expeditionem dictarum cauſarum in prudentia DD: Cõſulum remittimus, certificantes eoſdem, quod tanto comendabiliores erunt, quanto citius ad cauſarũ expeditionem devenerint.

## *De Solutione Decimi.*

## RVBRICA LXXIX.

AD hoc ut petitiones ex juſta fiant cauſa, & debitores quod realiter debent, petita non negent; Hujus noſtræ ordinationis Conſtitutione etiam antiquiora Artis ſtatuta ſequentes, dicimus, & ordinamus, quod quis quis reſpondendo petitionibus, ſeù reconventionibus ad Tribunal Artis noſtræ coram DD: Conſulibus factis, & faciendis, negaverit petitiones, ſeù reconventiones ipſas in eis petita ſub quibusvis negativis verbis, ſolvat, & ſolvere debeat pro decimo Magnificæ Artis Mercantię quadrantes ſex pro ſcuto quolibet negato in actu ipſius negativæ in manibus Notarii; Quod decimum in Capſetta ad hoc deputata pro Arte poni volumus, & à DD: Conſulibus remitti omnino prohibemus, niſi in cauſis, in quibus decimum alicujus importantię ſolvendum eſſet à perſona ſatis paupercula, in quò caſu tantum poſſint non remitti ſed ejus ſolutionem differri in fine litis, & aliter exceptiones negativę non admittantur, eaſque Notarius ſcribere non valeat, & ulteriora in cauſa procedatur quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus, ad cujus decimi refectionem, ſi pars petens ſuccubuerit, condemnari volumus in totum, vel in partem, prout ſuccubuiſſe apparebit, niſi alias rationabilibus de cauſis DD: Conſules duxerint pronunciandum.

## *De executione licentiarum in Curia Mercantiæ relaxandarum.*

## RVBRICA LXXX.

MAndata, licentias, & executiones, quæ, & quas concedenda, & exequenda duxerint DD. Conſules, quia parum eſſet relaxaſſe, niſi eſſet qui ea debitę demandaret executioni, propterea ſtatuimus, & ordinamus, quod quilibet Birruarius, & Exequtor, Baiulus, & Officialis Civitatis, & Comitatus Peruſiæ auctoritatem habeat, eas, & ea exequendi, & debitæ exequtioni demandandi quibuſcumque diebus, & horis, præterquam in honorem Dei feriatis, & de nocte, Ave Maria



Digitized by Google

de serò pulſata, exequendi perſonaliter, vel realiter ut prius fieri poterit, eaſque, & ea exequi debeat ad omnem creditoris instantiam ſtylo, & conſuetudine Curiæ Peruſinæ in dictis execuitionibus faciendis ſemper ſervato.

## De Tenutis accipiendis.

## RUBRICA LXXXI.

Ut executiones faciendæ vigore licentiarum, & mandatorum in Curia Mercantiæ relaxandorum per DD Conſules totali, & finali demandetur executioni quando placuerit creditori tenutam bonorum debitoris habere, mittatur, & ponatur in tenutam bonorum, tam mobilium, quam immobilium ipſius debitoris vigore dictæ licentiæ ex primo decreto, quæ tenuta per nuntium Artis noſtræ, ſeu alium publicum Baiulum tantum, vel per nuntium, & Bajulum cum executore, volumus, quod pro creditore ipſo capi poſſit, & ea in actis Notarii relata, tunc DD. Conſules poſſint in ea confirmare dictum creditorem ex primo decreto, & etiam ad petitionem creditoris ſequeſtrari facere fructus, redditus, & proventus dictæ rei in tenutam captæ; quibus peractis, ſi debitor infra triginta dies à die confirmationis in tenuta capta, ſi tenuta erit bonorum immobilium, & infra XV. ſi mobilium, bona hujuſmodi non reluerit, tunc & eo caſu citari debeat infra triduum ad reluendum ea cum comminatione, quod alias dicto termino elapſo bona prædicta ſubaſtabuntur plus offerenti ad publica bannimenta, in cujus contumaciam, & ſi non reluerit debitor bona jam dicta, ſubaſtari poſſint, & debeant ad minus quinque vices diverſis horis juridicis ante Portam Audientiæ dictæ Artis per publicum Tubicinam Communis Peruſiæ, & ſi emptor inveniatur, vendatur res per Judicem, & creditorem jure creditoris ei, qui plus obtulerit, & de præcio ſatisfiat creditori ſi ſufficit pro debito, & expenſis, & ſi aliquid ultra ſupererit de præcio, debitori reſtituatur infra quindecim dies à die factæ venditionis computandos: Quod ſi debitor recipere nollet, ipſo ad recipiendum citato, deponi debeat penes idoneam perſonam, & eidem notificari quod ultra ſi dictus creditor non reſtituerit, vel depoſuerit infra dictum tempus quindecim dierum, & ſubinde notificari non fecerit, ut ſupra, venditio ſit nullius valoris, roboris, vel momenti, ſi vero præcium non eſſet ſufficiens ad integram debiti, & expenſarum ſatisfactionem, altera ex præmiſſis modis executio fiat: Si vero emptor rerum, & bonorum in tenutam captorum non inveniretur, tunc, & eo caſu dictæ res, & bona

in

tenutam capta dictis bannimentis peractis adjudicentur ipſi creditori in ſolutum, & pagamentum ex ſecundo decreto per dictos DD. Conſules pro quantitate debiti, & pro quarto pluri ſecundum æſtimationem faciendam de re adjudicanda, antequam adjudicetur per duos bonos homines communiter eligendos, & in contumaciam debitoris ipſo ad eligendum citato per partem, DD. Conſules uti Iudices judiciario nomine, Qui homines poſſint, & debeant cogi ad acceptandam dictam electionem, & ad æſtimationem prædictorum bonorum faciendam benè, diligenter, & realiter; Et infra quindecim dies à die acceptationis factæ, æſtimationem referre debeant, quorum æſtimationi omnino ſtari debeat, & caſu quo dicti æſtimatores non eſſent concordes, per DD. Conſules tunc, & eo caſu tertius detur eis, & terminus alius ad æſtimandum per DD. Conſules aſſignetur; Qui tertius pariter ad prędictam electionem acceptandam cogatur, & æſtimatio per dictum tertium in concordia cum altero ex dictis hominibus facienda ſit rata, & firma, & ei omninò ſtari debeat, & à dictis æſtimationibus minimè appellari, recurri, vel reclamari poſſit, & valeat: Quibus non obſtantibus liceat nihilominus debitori infra ſex menſes à die celebrati inſtrumenti venditionis computandos, dictam rem venditam redimere, reſtituto tamen præcio cum expenſis, & omnibus melioramentis in ea poſt venditionem factis: Et ſi contigerit in dictis bonis adeiſe fructus ſequeſtratos, & à ſolo ſeparatos poſt primum decretum, & ante ſecundam adjudicationem, tunc, & eo caſu, ſi creditori placuerit etiam fructus prædicti dicto creditori per æſtimationem, ut ſupra faciendam adjudicentur, & in ſortem computentur, declarantes etiam, quod ſi contingat, dicta bona vendita modo quo ſupra traſcendere verum, & communem valorem tempore venditionis factæ, quantitatis præcii venditi, & tertiæ partis pluris dicti præcii, tunc, & eo caſu, liceat debitori, & ejus hæredibus, vel heredi dicta bona repetere, & redimere a quocumque de tempore, non obſtante lapſu dictorum ſex menſium, infra alium terminum in Statuto Peruſino aſſignatum ſub rubrica de eſſecutione inſtrumentorum in volumine ſecundo, quod ſtatutum pariter ſervari volumus in caſibus in præſenti hac noſtra conſtitutione non expreſſis, prout in dicto ſtatuto continetur omni modo meliori.

## *De renovatione licentiarum.*

### RUBRICA LXXXII.

PER biennium, & non ultra à die conceſſionis computandum licentias in Curia Mercantiæ per DD. Conſules relaxatas exequi poſſe ſtatuimus, & declaramus, non obſtante, quod ſit finitum officium illorum Conſulum, qui eas conceſſerunt juxta ſtylum in dicta Curia ſervari ſolitum, quo biennio elapſo, non poſſint tales licentiæ executioni demandari, niſi prius earum renovatione obtenta à DD. Conſulibus tunc præſidentibus, qui DD. Conſules citato debitore ad dictam renovationem faciendam, ipſoque non comparente licentiam ipſis pro petitis, & impenſis renovari mandent, delato tamen juramento ipſi creditori, ſeu ejus legitimo Procuratori ſuper non ſatisfactione; Si verò debitor comparuerit, & copiam licentiæ renovari petitę petierit, producatur per creditorem, & debitori decrsetur cum termino ad primam juris ad opponendum contra; Qui ſi non oppoſuerit in termino ſibi aſſignato, licentia renovetur ut ſupra, ſi verò contra licentiam opponere voluerit, ad nullam exceptionem admittatur niſi ad exceptiones ſolutionis, ſatisfactionis, abſolutionis, termini, prorogationis, vel pacti de non petendo, & remiſſionis debiti, quas exceptiones probaſſe, et probatas habuiſſe debebit infra octo dies à die oppoſitionis proximè ſequentes per publicum inſtrumentum receputum validum, partis confeſſionem, vel teſtium depoſitionem, alias licentia prædicta renovetur, et totali exequtioni demandetur quibuſcumque non obſtantibus.

## *De habente rem in pignus.*

### RVBRICA LXXXIII.

SI quis habuerit ab aliquo aliquam rem in pignus pro aliqua quantitate pecuniarum, vel alia quacumque re, et ille, qui recepiſſet nollet amplius retinere, tunc, et eo caſu ſi adhierit DD. Conſules Mercantiæ ſtatuimus, et ordinamus, quod ad dicti habentis rem in pignus petitionem, citari faciant eum, qui dictam rem in pignus dediſſet, ſeu ejus hæredes, quatenus infra terminum X. dierum immediatè poſt exequtam citationem incipiendorum, et ut ſequitur finiendorum, debeat dictam rem in pignus datam reluiſſe, et integre eidem ſatisfeciſſe de eo, pro quo res ſub pignorata fuerit, qui ſi infra dictum tempus rem prædictam non luerit, tunc ad inſtantiam rem in pignus haben-

tis

tis, poſſit dicta res vendi ad publica bannimenta per publicum Tubicinam Communis Peruſiæ in die Mercati plus offerenti pro præcio oblato ſine alia citatione, & venditio valeat, & teneat aliquo in contrarium non obſtante, quod tamen notificari debeat ipſi ſubpignoranti, vel hæredibus ejus, qui poſſit, vel poſſint infra triginta dies à die notificationis redimere dictam rem venditam à quolibet detemptore ſolvendo eidem integrum præcium, & expenſas factas, declarantes, quod emptor teneatur revendere infra dictum tempus, & pro eo etiam teneatur ipſe actor, ad hoc ut curet dictam notificationem quanto citius facere; Si vero dicta res vendita fuerit majori præcio, pro quo pignorata fuiſſet, debitor, vel hęredes ad recipiendum illud plus citari debeant pro certa die, & hora, qui ſi non comparuerint, de dicto pluri fiat depoſitum penes idoneam perſonam per dictos DD. Conſules eligendam, quod pariter intimandum erit; ſi verò venderetur minori præcio tunc, & eo caſu pro illo minus contra debitorem agi poſſit juris ordine, ut ſupra dato in procedendo ſervato, ad quas omnes expenſas in prædictis faciendas dictus debitor teneatur.

## *De Summariis Arreſtationibus, & de mandatis contra de fuga ſuſpectos.*

## RVBRICA. LXXXIV.

Expedit quandoque in favorem Iuſtitiæ, & de bona æquitate, & conſuetudine Mercantiæ fieri ſequeſtrationes, & arreſtationes, ac perſonales, et reales executiones, ſolemnitatibus, et Iuris ordine prætermiſſis, in quibus providendo ſtatuimus, et ordinamus, quod ſi aliqua perſona coram DD. Conſulibus Mercantię expoſuerit ſe aliquid debere ab aliqua perſona, civi, comitativa, vel forenſe non habitante in Civitate, et Comitatu Peruſiæ, et aliquid in bonis ſtabilibus in eadem Civitate, et Territorio Peruſino non poſſidente occaſione Mercantię, vel aliqua alia de cauſa, et de credito ſummariè docuerit, ſeù illud ſi DD. Conſulibus placuerit, ſuo juramento firmaverit, et talem perſonam cum effectu de fuga ſuſpectum habere juraverit, et mandatum ſuſpectionis de fuga de ipſum perſonaliter capiendo, et arneſia, et bona ſua ſequeſtrando, et arreſtando petierit, concedatur eidem, et vigore talis mandati, ipſum perſonaliter capi, et bona ſua ſequeſtrari, arreſtari, ſubpignorarique poſſint, et valeant à quocumque Officiali, et executore Civitatis, et Comitatus Peruſiæ juxta tamen quantitatem debiti: Hoc tamen de-

clarato, quod ſi talis perſona, vel alius pro eo, diceret ſe gravatum indebitè, et dederit fideijuſſorem de ſtando juri, et judicatum ſolvendo coram ipſis DD. Conſulibus, talis ſequeſtratio, areſtatio, captio, et ſubpignoratio tollatur, et de ea cognoſcatur per dictos DD. Conſules ſecundum ordinamenta Mercantiæ aliquo non obſtante,

## *De permiſſa ſequeſtratione.*

## RVBRICA LXXXV.

AD moram debitorum in ſolutionibus faciendis omninò tollendum, et creditorum indemnitati opportunis remediis providendum, hac conſtitutione ſtatuimus, et ordinamus, quod quando aliqua perſona eſſet creditrix alicujus perſonæ in quacumque pecuniarum, rerum, et bonorum ſumma, et de credito appareret per licentiam contra debitorem legitimè conceſſam, vel per inſtrumentum, vel alium legitimum modum, et talis debitor haberet aliqua ſua bona, pecunias, res, et fructus penes aliquam perſonam, tunc, et eo caſu DD. Conſules ad omnem ipſius creditoris, vel ejus Procuratoris inſtantiam, poſſint, et valeant pecunias, res, fructus penes talem retinentem ſequeſtrari facere, eidemque precipere ſub pœna eis beneviſa, et Cameræ Apoſtolicæ applicanda, ne prædicta ipſi debitori, nec alicui alteri perſonæ reddat, ſolvat, vel reſtituat ſine ipſorum DD. Conſulum, vel ipſius creditoris expreſſa licentia; Qui ſequeſtratarius ſi poſt ſibi factum ſequeſtrum ſequeſtrata ſine ipſorum DD. Conſulum, aut partis licentia reſtituerit, ad ſolutionem debiti ipſi creditori, pœnæ R. C. A. omninò teneatur, dicta autem ſequeſtratione facta, ſi vigore licentię facta fuerit, dictus ſequeſtratarius citari debebit infra terminum quinque dierum ad conſignandum ſequeſtrata ipſi creditori pro concurrenti ſui crediti, et expenſarum ſatisfactione, quæ ſi infra dictum terminum non conſignaverit, tunc citari debeat pro certa die, et hora ad dicendum cauſam quare non debeat contra ipſum licentia; et mandatum exequtivum concedi, et relaxari pro conſignatione ſequeſtratorum pro concurrenti quantitate debiti, et expenſis, Et ipſo non comparente tunc in ipſius contumaciam licentia, et mandatum executivum contra ipſum concedatur, et relaxetur pro petitis, et expenſis; Si vero comparuerit, et faſſus fuerit ſe aliquod habere in manibus ipſius principalis debitoris, tunc, et eo caſu terminus decem dierum ad conſignandum confeſſata, ipſi ſequeſtratario aſſignetur, quo

cla-

elapſo, licentiam relaxetur pro confeſſatis, et impenſis; Si verò comparuerit, & ſe nihil habere in manibus negaverit, & creditor contrarium probare voluerit, tunc, & eo caſu terminus ad probandum ipſi creditori aſſignetur, & ſecundum acta, & probata cauſa hæc ſummariè &c. ſecundum conſuetudinem Artis decidatur, & terminetur: Si vero ſequeſtrum non eſſet vigore licentiæ factum, tunc, & eo caſu ad conſignationem ſequeſtratorum ſequeſtratarius non cogatur, niſi prius cauſa contra principalem debitorem cognita fuerit, ipſeque ad ſolvendum condemnatus non erit: Sequeſtrationes autem, quæ fuerint factæ, nulla pręcedente licentia, ſed tamen cauſa cognita, ſi pars petierit, revocentur præſtita cautione de ſtando juri, & ſolvendo judicatum.

## *Quod quilibet de Apotheca agere, & exigere poſſit.*

## RVBRICA LXXXVI.

AD omnes ambiguitates, & dubia quælibet tollendum, etiam antiquiora ſtatuta ſequentes tenore pręſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod non ſolum principalis Dominus alicujus apothecæ, & faris, verum etiam quilibet ex ſociis, juvenibus, & fancellis ipſius apothecæ inſolidum coram DD. Conſulibus Mercantię, poſſit nomine ſuo, & aliorum in apotheca, & fare, agere, petere, & cauſari contra quoſcumque dicti faris, & apothecæ debitores, & exactiones pro ipſo fundico, & fare facere, & executiones reales, & perſonales fieri facere, prout eis expedire videbitur, niſi hoc fuerit tali juveni, & fancello per aliquem ex principalibus dictę apothecę, & faris patenter inhibitum, ſicut pariter volumus, & mandamus, quod principales dictarum apothecarum, qui per ſe ipſos, ſeu per ſocios, juvenes, & fancellos prædictos aliquam pecuniarum quantitatem ab aliquo debitore receperint, teneantur, & debeant in libris eorum, ad creditum dicti debitoris aſcribere, ſeu aſcribi facere. Quod ſi non fecerint nihilominus talis debitor, qui ſolutionem aliquam ſic feciſſet, abſolutus, & liberatus ſit in totum, vel in partem juxta ſolutionem per eum factam aliquo non obſtante.

## *Quod Socii teneantur inſolidum.*

## RVBRICA LXXXVII.

ANtiquitus ſemper ſervatum fuit, hodieque ſervari volumus, & ita ſtatuimus, et decernimus, inſolidum teneri quoſcumque ſocios ſimul habentes fundicum, ſeu apothecàm aliquam,

et exercitium, aut ſocietatem aliquam inſimul exercentes de, et pro debitis, pecuniis, et trafficis, et factis ipſius Apothecæ, et ſocietatis, et quæ pro apotheca, et ſocietate prædicta quilibet ipſorum quomodolibet contraheret, ad quorum obſervationem, ſolutionem, et ſatisfactionem quilibet eorum inſolidum realiter, et perſonaliter conveniri, et cogi poſſit, quando tamen alter ſocius nomine ſocietatis, ſeu pro ſocietate contraxerit, pro ea tamen quantitate, pro qua talis ſocius in ſocietate habere compertum erit, non obſtante quod per alium ipſorum tantum promiſſio facta eſſet; Et ſocii intelligantur qui in libris talis apothecæ pro ſociis ſcripti ſunt, ſeu alias ſocios eſſe per chirographum, aut publicum inſtrumentum conſtaret, non tamen teneantur inſolidum pro aliqua pecuniarum quantitate, quæ quilibet de fundico, ſeu apotheca mutuo, ſeu in depoſitum reciperet, niſi deſcripta eſſet in libris dictæ apothecę, ſed tantum ipſe mutuo, ſeu in depoſitum recipiens ad illorum reſtitutionem, et ſatisfactionem cogi, et compelli poſſit.

## *De confeſſionibus judicialibus apud acta faciendis.*

## RVBRICA LXXXVIII.

QUia nulla major eſt probatio, quam partis confeſſio, idcirco volumus, quod quando aliquis actor in Iudicio, & Curia Artis Mercantiæ comparuerit, & petitionem adverſus aliquem ex juxta aliqua cauſa fecerit, & quod Reus ſic conventus citatus, vel non comparuerit, & debitum fuerit faſſus petendo dilationem ad ſolvendum, De conſenſu partis dilatio petita aſſignetur ei, qua elapſa, & debito non ſoluto, ex tunc mandatum exequtivum relaxent exequendum quando dies venerit ſine alia citatione, ſi debitum ſummam ſcutorum quinque non exceſſerit ad tollendum ulteriores expenſas, ſi vero exceſſerit ſummam jam dictam, exequatur unica tantum præcedente citatione pro certa die, & hora ad dicendum cauſam quare, mandatum exequtivum, ſive licentia contra ipſum relaxata in vim confeſſionis per eum in judicio factę exequi non debeat &c. qui ſic citatus, ſi comparuerit, & confeſſionis copiam petierit decretetur ei cum termino ad primam ad opponendum, cui ſi oppoſitum non fuerit in termino exequatur ſine alia citatione, ſeu intimatione; Si autem oppoſitum fuerit non admittantur aliquæ exceptiones, niſi ſolutionis, ſatisfactionis, & remiſſionis debiti, quas omnino probaſſe, & probatas habuiſſe volumus infra quinque dies, & niſi probaverit licentia ſimiliter exequatur ſine alia citatione, ſeu

in-

intimatione, ſi vero aliquid, quod relevet probaverit, cauſa ſummariè quanto citius, prout juris erit termin etur: In quibus cauſis procedi poſſit, & procedatur feriis quibuſcumque, præterquam in honorem Dei, non obſtantibus.

## *De abſtinendo ſe ab inlicitis verbis, & aliis coram DD. Conſulibus.*

### RUBRICA LXXXIX.

LEgem modeſtiæ, & honeſtatis cunctis in Curia magnificæ Artis Mercantiæ litigantibus, & accedentibus imponimus; Et ideo hujus inviolabili ſtatuti conſtitutione decernimus, quod in Curia DD. Conſulum Mercantię litigantes, & accedentes, nec coram DD. Conſulibus ipſis reſidentibus, vel non, nec in audientia dictæ Artis, etiam in abſentiam dictorum DD. Conſulum audeant, vel præſumant quoquo modo, vel aliqua ex cauſa aliqua verba minatoria, vel improperatoria, ſeu inhoneſta adverſus aliquam perſonam, & tanto minus adverſus ipſos DD. Conſules proferre, nec dicere, aut Deum, Matrem, & Sanctos ejus aliquo modo blaſphemare, ſi vero aliquis tantæ immodeſtię, & præſumptionis fuerit, qui huic noſtræ ſanctioni quomodolibet contravenerit, teneantur, & debeant DD. Conſules ipſum carcerari facere, ad hoc ut debitam pro malis geſtis, ſeu dictis recipiat pœnam.

## *De ſervandis in obitu Mercatorum ſine filiis, & Hæredibus.*

### RVBRICA XC.

RAtioni conſonum eſſe dignoſcitur, quod ſi aliquis Mercator, vel alicujus Artis operator in Civitate, & Comitatu Peruſiæ deceſſerit ſine filiis, & hæredibus in eadem Civitate, & Territorio commorantibus, indemnitati eorum conſulatur. Ideo tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod DD. Conſules Mercantię teneantur, & debeant, quando ſimilis caſus eveniret, quod aliquis Mercator, vel alicujus Artis operator in Civitate, & comitatu Peruſiæ decederet ſine filiis, & hæredibus in eadem Civitate, & Territorio commorantibus accipere, vel quod accipiantur curare claves, & libri fundici apothecæ, ſaris, & domus, & fieri facere inventarium de omnibus, & ſingulis Mercantiis, rebus, & arneſibus in ipſius fundico, apotheca, vel domo repertis nemini reſtituendis, niſi ſucceſſoribus ejuſdem,

qui

qui legitimè ſuccedere defunćto docerent; Qui hæredes, vel ſucceſſores antequam prædićta recipiant, et eis conſignentur, teneantur, & debeant ſe legitimè ſubmittere juriſdićtioni DD. Conſulum, & idoneè cavere de ſatisfaciendo creditoribus dićti defunćti, & de obſervando ea, ad quę defunćtus tenebatur ex quavis juxta, & legitima cauſa, ſi autem talis decedens, ad fundicum, & Artem ſuam ſocium haberet, ipſeque ſocius ſibi bona, & res prædićtas conſignari vellet, conſignentur eidem, data idonea cautione de reſtituendo ea legitimis hæredibus, & cum legitima ſubmiſſione per ipſum DD. Conſulibus facienda, ut ſupra.

## *De modo tenendo contra rumpentes, & fallitos.*

## RUBRICA XCI.

IVri conſentaneum eſſe videtur, quod ſi aliquis Mercator, vel alicujus Artis operator in civitate, & comitatu Peruſię rumperet, ſeu pro eminentibus debitis, vel alia turpi de cauſa ſe abſentaret à Civitate, & comitatu Peruſiæ indemnitati creditorum ipſius provideatur. Propterea hac præſenti opportuna noſtra conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod quando ſimilis caſus ruptionis, decoctionis, aut abſentationis alicujus Mercatoris, ſeu alicujus Artis operatoris eveniret, ſtatim DD. Conſules Mercantiæ accipient, ſeu accipi faciant claves apothecæ, & domus ipſius, & inventarium diligenter fieri faciant de ſingulis libris, rebus, & arneſibus illius; Et ſi talis Mercator, vel Artis operator, vel alius pro eo non comparuerit infra terminum ſibi per DD. Conſules aſſignandum ad legitimè ca endum de ſatisfaciendo ſuis creditoribus, tunc fiat venditio rerum, & bonorum illius, & debitorum ejus, exaćtio, & pecunia rediegndæ pœnes idoneam perſonam per DD. Conſules eligendam, deponantur, per publica bandimenta ipſius in plateis, & locis ſolitis facienda, citatis omnibus ipſius creditoribus ad docendum legitimè de eorum creditis, quibus creditoribus ſecundum eorum in creditis anterioritatem, vel pro rata unicuique iuxta illud, quod magis DD. Conſulibus convenire videbitur de pecuniis ex dićtis rebus, & bonis ſic vendendis ſatisfieri ad omne dićtorum DD. Conſulum mandatum, debeat, ſalvo tamen, & reſervato jure creditoribus ipſis agendi contra talem ſic rumpentem, & ſe propria malitia, et dolo abſentantem, etiam ad pœnam juxta, et ſecundum exigentiam ſtatutorum, et ordinamentorum Communis Peruſiæ.

Quod

## *Quod committentes fraudem puniantur.*

### RVBRICA XCII.

NON eſt permittendum, quod committentes aliquam malitiam, dolum, ſeu falſitatem in factis eorum Mercantiæ puniri non debeant: Ideo ad hoc, ut formidine pœnæ ab omnibus inlicitis ſe abſtineant, niſi zelo proprii honoris, et conſcientię ſe abſtinere voluerint, tenore præſentium ſancimus, et ordinamus, quod ſi aliquis Mercator, vel alicujus Artis operator aliquod dolum, malitiam, fraudem, ſeu falſitatem commiſerit, tam in emendo, quam vendendo, et partitas in libris ſcribendo, quod fraus videretur ipſis DD. Conſulibus, ſeu majori parti illorum, tunc, et eo caſu DD. Conſules prædicti falſitatem, et dolum ad veritatem reduci faciant, et fraudato omnes expenſas refici curent, ipſumque doloſum, et malum Mercatorem, et Artificem condemnent in pœnam illam pecuniarum Arti Mercantiæ, et R. C. A. applicandam eis benevisam, ſecundũ facti qualitatem, et ab eo exercitio prædicto perpetuò, ſeu ad tempus privent, prout facti qualitas expoſtulabit, et requiret; Et ſi in libro, et matricula Iuratorum Artis Mercantię deſcriptus eſſet, ipſum caſſari, et ab eodem libro radi pœnitus faciant, et de cętero Iuratus Mercantiæ ulterius eſſe non poſſit.

## *De Barocculis non faciendis.*

### RVBRICA XCIII.

INjuſtum baroccolorum, et malorum fœneratorum uſum per omnes leges prohibitum omninò; etiam nos hac noſtra conſtitutione prohibere volentes, hujus noſtri capituli ordinatione ſtatuimus, et ordinamus, quod non audeat, neque pręſumat aliquis Mercator, vel Mercantiæ, aut alterius Artis operator aliquod barooccolum, ſeu fœnerationem aliquam facere, vel fieri facere, per ſe, vel aliam in quavis Mercantiarum ſpecie, ſeu quantitate, aliqua de cauſa, ſed ab eis omninò ſe abſtinere debeat. Si quis autem huic ſanctioni contraveniſſe, et baroccola feciſſe, et fœneraſſe in aliquo compertum fuerit, pœna DD. Conſulibus benevisa puniatur, et ad reponendum omnia in priſtinum, et ad refectionem damnorum, expenſarum, et intereſſe parti læſæ omnino condemnetur.

## *De Confeſſionibus non faciendis ex inhoneſtis, & Vſurariis cauſis, & licentiis propterea non concedendis.*

### RVBRICA XCIV.

INjuſta, & inlicita ab Arte noſtra removere cupientes, hac noſtra ſanctione prhoibemus ad Tribunal Artis noſtræ fieri quaſcumque confeſſiones ex inhoneſta, & inlicita, & uſuraria cauſa, immò factas, & faciendas omninò tollimus, & revocamus, & in vim dictarum confeſſionum nullam extrahi licentiam, vel mandatum dicimus, & decernimus, & ita firmiter obſervari ſtatuimus, aliquo non obſtante.

## *De recolligendis pannis, & aliis mercibus à Mercatoribus infra certum tempus.*

### RVBRICA XCV.

QVia aliquando evenit, quod emptores pannorum, & aliarum rerum, res ipſas penes venditores relinqunt, aut propter non ſolutionem integri præcii, aut alia de cauſa, & ſic culpa, & defecto ipſorum emptorum res ipſæ tineis aliquando corroduntur, & variis aliis modis devaſtantur. Ad hoc ut emptores ipſi promptiores reddantur ad prædicta recolligendum ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi pannus, vel aliqua alia res empta remanſerit penes venditorem per menſem, & emptor ipſe infra menſem non recollegerit, venditor teneatur elapſo menſe notificari facere tali emptori, quod rem ipſam recolligat, & præcium ſolvat infra terminum eidem à DD: Conſulibus aſſignandum, quo elapſo, ſi res corroditur, ſeù modo aliquo devaſtatur, niſi eſſet ex proprio venditoris dolo, ſeu culpa, ſit, & eſſe debeat periculo, & damno ipſius emptoris, & ſibi, ſuęque negligentiæ imputari debeat, Et ad ſolutionem præcii illius, nihilominus tempore convento, & refectionem expenſarum teneatur, ſeu ſi Mercator, & venditor voluerit, dicto tempore elapſo, rem alteri vendere, poſſit, & valeat, & arram pro prędicta ſolutam, ſi voluerit emptor perdat in totum; vel in partem, prout DD. Conſulibus convenire videbitur.

## *Quod filius familias Mercator, & Artis Operator, & Pater pro eo teneatur ad ſolutionem debitorum ejus.*

### RUBRICA XCVI.

RAtioni conſonum eſt, quod filius familias Mercator, vel alicujus Artis operator ad ſolutionem debitorum, per ipſum contractorum occaſione artis ſuæ, non obſtante, quod ſub patris poteſtate ſit, omninò teneatur. Ideo hujus noſtri capituli ſanctione providemus, & ordinamus, firmiterque obſervari mandamus, quod ſi aliquis filius familias, qui Artem Mercantiæ, vel aliquam aliam Artem publicè exercet, contraxerit aliquod debitum, ſeu fecerit alicui aliquam promiſſionem de conſervatione indemnitatis alicujus pro aliquo pro qualibet quantitate pecuniarum, vel alicujus rei, dè, & pro factis Mercantiæ, & Artis ſuę dumtaxat, ad ſolutionem, & obſervationem promiſſorum omnium, non obſtante, quod filius familias ſit, & Pater talis filii familias pro eo, quando quæſtum, & lucrum Patri refert, omninò teneatur, prout dictum filium familias, & Patrem pro eo teneri volumus, Niſi talis filius Artem prædictam contra Patris voluntatem exerceret, ipſeque Pater cum DD. Conſulibus Mercantiæ hanc ſuam contrariam voluntatem declaraverit, & per plateas in locis ſolitis publicè banniri fecerit, quo caſu ipſum Patrem pro filio nullatenus teneri volumus.

## *Quod promiſſio incerta, & ſine cauſa reddatur nulla.*

### RUBRICA XCVII.

RAtionabilibus de cauſis moti, hac noſtra conſtitutione invalidas, & nullius momenti declaramus omnes promiſſiones, & obligationes incertas, & ſine cauſa per aliquem Mercatorem, Artificem, & aliam quamcumque perſonam juriſdictioni Artis noſtræ ſubiectam, factas, & faciendas in futurum, niſi ad certitudinem reduci poſſint, in quibus promiſſionibus DD: Conſules aliquem non audiant, ſed à limine Judicii omninò repellant.

## *De numero DD. Conſulum in ſententiis ferendis.*

### RUBRICA XCVIII.

ET ſi in Rubrica de jure reddendo proviſum extitit de numero DD. Conſulum in reſidendo, & pronunciando, & alibi de

de negociis expediendis, tamen ad majorem facti hujus intelligentiam, & declarationem dicimus, & ſtatuendo decernimus, & declaramus, quod in terminatione cauſarum, tam per ſententias, quam per decreta deffinitiva per DD. Conſules in cauſis coram eis vertentibus terminandarum, tres Conſules in defectum alius Conſulis, & duo in defectum aliorum, & unus ſimul cum D. Priore Artis in aliorum defectum intereſſe debeant, & quatenus eveniret, quod ex quatuor Conſulibus in cauſarum decisionibus, & ſententiis ferendis duo eſſent unius oppinionis, & duo alterius, tunc, & eo caſu vocari debeat Prior Artis, & ad quam partem acceſſerit Prioris opinio illa ſubſiſtat, & valeat, & ſententia ab ipſis duobus Conſulibus unà cum dicto Priore in caſu prædicto data, valeat & teneat non ſecus, ac ſi per omnes DD. Conſules in concordia pronunciatum eſſet; & quatenus tres in concordia ex DD. Conſulibus eſſent, & unus diſcordaret, diſcordia unius evaneſcat, & judicium trium in concordia valeat, & teneat. Et idem ſervetur in numero trium, quando à duobus unus diſcordaret, adeo quod ſemper opinio plurium prævalere debeat; & ita in ſententiando, & pronunciando duximus ſtatuendum, ſervandum, & ſervari mandamus, & omnia ſic decreta, & facta valeant, & teneant, & roboris firmitatem validè obtineant; ſecus autem facta omnino ſint nulla, à quorum decretis, ſententiis &c. appellari, nec de nullitate dici non poſſit, ſed tantum recurri juxta ſtatuta Civitatis Peruſiæ de materia loquentia.

## *De Feriis.*

### RUBRICA XCIX.

ERunt feriæ in Curia DD. Conſulum, & jus non reddetur ab eis in diebus, & horis infraſcriptis, juxta ſtylum, & conſuetudinem in Curia prædicta ſervari ſolitum. Videlicet.

### *Giorni feriati al Tribunale della Mercantia.*

### GENNARO.

1 La Circoncisione del Signore.
2 L'Ottava di S. Stefano.
6 Epifania del Signore.
13 S. Giuliano.
17 S. Antonio.
18 Catedra di S. Pietro in Roma.
20 Santi Fabiano, e Sebaſtiano.

25 Con-

25 Converſione di S. Paolo.
28 Il Lume di S. Coſtanzo.
29 S: Coſtanzo.

F E B R A R O.

2 Purificazione della Madonna.
3 S. Biagio.
16 S. Giuliana.
22 Catedra di S: Pietro d' Antiochia.
24 S. Mattia.
26 ]
27 ] Per la feſta di S. Hercolano.
28 ]

M A R Z O.

1 S. Hercolano.
2 ]
3 ] Per la feſta di S. Hercolano.
4 ]
7 S: Tomaſſo d' Aquino.
12 S. Gregorio.
19 S. Gioſeppe.
21 S. Benedetto.
24 Vigilia dell' Annunciata.
25 Annunciatione della Madonna.

A P R I L E.

5 S. Vincenzo.
23 S. Giorgio.
25 S. Marco.
29 S. Pietro Martire.

M A G G I O.

1 Santi Filippo, e Giacomo.
3 Inventione della Croce.
6 S. Giovanni ante Portam Latinam.
8 Apparitione di S: Michele.
14 S. Bevignate.

19 S. Ivone.
20 S. Berardino.

## GIVGNO.

1 S. Fiorenzo.
11 S. Barnaba.
13 S. Antonio di Padova.
24 La Natività di S. Gio. Battiſta.
29 Santi Pietro, e Paolo Apoſtoli.

## LVGLIO.

2 Viſitatione della Madonna,
20 S. Margherita.
22 S. Maria Madalena.
25 S. Iacomo Apoſtolo.
26 S. Anna.

## AGOSTO.

1 S. Pietro in Vinculis.
2 ]
3 ] Per l'indulgenza à S. Domenico.
4 S. Domenico.
5 S. Maria della Neve.
6 Transfigurazione del Signore.
10 S. Lorenzo.
14 Per il Lume dell'Aſſunta.
15 Aſſuntione della Madonna.
16 S. Rocco.
19 S. Ludovico.
25 S. Bartolomeo.
28 S. Agoſtino.
29 La Decollatione di S. Gio: Battiſta.

## SETTEMBRE.

8 Natività della Madonna.
10 S. Nicola di Toledtino.
14 Eſaltatione della Croce.
21 S. Matteo.

29 De-

29 Dedicatione di S. Michele.
30 S. Girollamo.

## O T T O B R E.

4 S. Franceſco.
18 S. Luca.
28 Santi Simone, e Giuda.

## N O V E M B R E.

1 La feſta di tutti li Santi.
2 Commemoratione de' Morti.
7 Decollatione di S. Hercolano.
9 Dedicatione della Baſilica del Salvatore;
11 S. Martino Veſcovo.
12 S. Martino Papa, e Martire.
18 Dedicatione delle Baſiliche de' Santi Pietro, e Paolo.
22 Preſentatione della Madonna.
25 S. Catterina.
30 S. Andrea.

## D E C E M B R E.

6 S. Niccolò.
7 S. Ambrogio.
8 Conceptione della Madonna.
13 S. Lucia.
21 S. Tomaſſo.
22 ]
23 ] Per la Natività del Signore.
24 ]
25 La Natività del Signore.
26 S. Stefano.
27 S. Giovanni Evangeliſta.
28 Santi Innocenti.
29 ]
30 ]Due giorni frà l'ottava della Natività del Signore.
31 S. Silveſtro.
Tutte le Domeniche dell' Anno.
Tutti li Venerdì di Marzo.
Dalli 15. di Giugno fino adi 22. d' Agoſto per l'Eſtate.

Dalli 22. di Settembre ſino adi 22. d'Ottobre per la vendembia.
Sei giorni avanti la Cenere per il carnevale.
Il giorno della Cenere.
La Settimana Santa ſino al Martedì doppo l'Ottava di Paſqua di Reſurrettione.
Li giorni delle Rogationi la mattina.
Il giorno dell'Aſcenſione del Signore.
Il giorno avanti la Pentecoſte.
Quattro giorni doppo la Domenica di Pentecoſte.
Il giorno avanti la feſta del Corpo di Chriſto.
Il giorno del Corpo di Chriſto.
Il giorno dell'ottava del Corpo di Chriſto la mattina.
Il giorno della Creation del Papa.
Il giorno della ſua coronatione.
Il giorno del Conſiglio generale:
Li giorni, ne' quali per indulgenze, ſerenità, pioggie, o altre occaſioni ſi faceſſero proceſſioni generali la mattina ſola.
Et in altri giorni, ne' quali veniſſero meſſe ferie al detto Tribunale dall' Illuſtriſſimo Superiore.

Declarantes, quod in diebus, in quibus indicuntur feriæ generales, tempora, & fatalia non currant, quibus elapſis fiat generalis reſtitutio.

In omnibus autem aliis diebus, & horis poſſint DD. Conſules jus reddere, & petentibus jus, & juſtitiam adminiſtrare.

Declarantes etiam, quod in dictis diebus tamen in honorem Dei, Matris, & Sanctorum ejus feriatis, executiones aliquæ contra quaslibet perſonas vigore licentiarum in Curia Mercantiæ relaſſatarum fieri modo aliquo non poſſint, niſi contra de fuga ſuſpectos vigore mandati ſuſpectionis de fuga.

In diebus autem prædictis, & in honorem Dei feriatis, ex Eccleſiaſtico tamen pręcepto ſervari non ſolitis, & in quibus a manualibus in Civitate modò ceſſatur, poſſint in Curia DD. Conſulum fieri confeſſiones de partium conſenſu, & relaxari quæcumque mandata ſuſpectionis de fuga, & arreſtationes, & ſequeſtrationes quælibet concedi contra de fuga ſuſpectos, ſecundum bonam conſuetudinem Curię Mercantiæ.

Poſſint etiam DD. Conſules in diebus prædictis, in quibus feriæ ad utilitatem hominum pro meſſe, & vindemiis indictæ eſſent, procedere, & ſententiare in cauſis, in quibus ageretur vigore inſtrumentorum in forma Camerę Ap: celebratorum, & in quibus feriis renunciatum eſſet, & in cauſis forenſium, ſervitu-
tis

tis, ſeu alimentorum, quæ manualia pagamenta concernerent, dictis feriis non obſtantibus.

## *De approbatione librorum.*

## RVBRICA C.

ANtiquitus ſervatum eſſe, hodieque ſervari non eſt dubium, quod Mercatorum, aliorumque Artificum, & librorum approbatio ſit. Et ideo hac nova conſtitutione antiquiora ſectamenta amplectentes ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis Mercator, vel Artifex comparuerit coram DD. Conſulibus Mercantiæ, & produxerit aliquem librum groſſum, Giornalem, vel alium librum per Mercatores, & Artifices pro ſervitio eorum Artis retineri ſolitum, & petierit ſe approbari pro fideli Mercatore, & Artifice apto, & idoneo ad ſcribendum in dicto libro, DD. Conſules cum cognoverint ipſum eſſe talem, qualis eſſe debet, ſeu alias de fide, & ſufficientia ſic aporobari petentis ab aliquo probo viro eis fides fiat, poſſint, & valeant ipſum ſic petentem (etiam ſi plures fuerint) approbare pro fidelibus Mercatoribus, & Artificibus, & aptis, ac idoneis ad ſcribendum in dicto libro, concernenria tamen trafficum eorum fundici, apothecæ, & faris, dummodo plures trium perſonarum in uno, eodemque libro ſcribere non poſſint, & mandare partitis per ipſum, ſeu ipſos in dicto libro conſcribendis in judicio, & extra adhiberi plenam fidem in concernentibus tamen trafficum eorum apothecæ, delato tamen ſic petenti, ſeu petentibus ſolemni juramento de fideliter ſcribendo omnia in dicto libro, omni prorſus malitia, & falſitate remotis; Quibus libris plenam fidem adhiberi, & partitas in eis conſcriptas debitæ executioni demandari volumus, tamquam ſcripturas manu publici notarii, & confeſſiones in judicio factas, & contra eas nihil dici, opponi, vel obiici poſſit, niſi exceptio ſolutionis, ſatisfactionis, remiſſionis, finis, & refutationis fieri, rei non traditæ, & præcii exceſſivitatis, quas exceptiones debeat ſic opponens probaſſe, & probatas habuiſſe intra terminum unum à DD. Conſulibus aſſignandum, alias debitæ executioni demandent, aliquo non obſtante.

## *De approbatione ſcripturarum facienda.*

## RVBRICA CI.

CVM fuerit exhibita coram DD. Conſulibus aliqua ſcriptura polita, ſeu chirographum, & aſſeratur ſcripta, vel ſcriptum



tum

Digitized by Google

tum manu alicujus Mercatoris, vel Artificis, aut alicujus alterius perſonæ, & petitum fuerit eam approbari pro ſcriptura manu ipſius ſcripta, tunc, & eo caſu DD. Conſules citari mandent eum, à quo aſſeritur, dictam ſcripturam factam fuiſſe, & eum, qui in ea intereſſe haberet perſonaliter, vel domi ad recognoſcendum, & recognoſci reſpectivè videndum dictam ſcripturam coram eis productam, qui ſic comparuerit, qui eam ſcripſerit, ejus juramento ad dictam recognitionem faciendam compellatur, & compelli debeat etiam parte præſente, & contradicente; Si verò, qui eam ſcripſit non comparuerit, poſſint DD. Conſules quoſcumque habentes aliquas ſcripturas ſcriptas manu illius, qui productam ſcripturam ſcripſiſſe dicitur ad eas producendum juris, & facti remediis opportunis, cogere eum, quibus comparatio fieri poſſit, & debeat per dictos DD. Conſules cum interventu unius, vel duorum fide dignorum Mercatorum, & dicta ſcriptura beneviſa, & cum aliis comparata, approbare, vel reprobare eam poſſint, & valeant cum judicio dicti, vel dictorum, Mercatoris, vel Mercatorum, prout eis magis convenire videbitur, & quatenus approbari contingat, executioni demandetur contra quoſcumque, aliquo in contrarium non obſtante, ſi verò pars, contra quam cantaret dicta ſcriptura, ipſe ut ſupra citatus eam approbaret, alia aliqua ſollemnitas in ipſius approbatione non ſervabitur.

## *Quomodo libris Mercatorum non approbatorum plena adhibeatur fides.*
## RUBRICA CII.

SCripturis librorum Mercatorum, aliorumque Artificum, & ſcriptis in eis manu ipſorum, ſeu ſuorum juvenum pro factis, & negociis illius fundaci, & apoth ecę, etiam quod libri prædicti non ſint juxta formam ſuperius datam approbati, plenam fidem adhiberi, & debitæ executioni partitas in eis conſcriptas demandari volumus, niſi aliquid contra perſonam, & librum, ac partitas oppoſitum fuerit; Quandò verò pars adverſa contra librum, & partitam prædictam aliquid opponeret, & oppoſita non probaret, tunc, & eo caſu conſtito DD. Conſulibus de bona vita, & fama talis Mercatoris, vel Artificis, & quod in dictis libris ſuis ſit ſolitus ſcribere veritatem, tam inſcribendo, quam in recipiendo, & ad majorem cautelam, etiam præſtito juramento eidem petenti, quod vera, & juſta petierit, & petat, & quod vera fuerint, & ſint in dictis partitis ſcripta,

&

& contenta, partitæ, & libri prædicti debitæ executioni demandentur; & debitor ad ſolutionem debiti, & refectionem expenſarum omnino condemnetur, ſi verò aliquid reus de exceptionibus oppoſitis probaverit, dictuſque Mercator, & Artifex de bona vita, & fama ſua docuerit, & juramentum prædictum præſtiterit, tunc DD. Conſules ſuper tali petitione, & exceptione pronuncient, prout magis de jure, vel de æquitate, & bona Artis Mercantiæ conſuetudine fuerit.

*De executione Apodixarum.*

## RUBRICA CIII.

QUia quando alicui perſonæ per ſcripturam, & politiam Mercatoris, vel alterius Artificis cautum eſt, habetur, & reputatur, quod nullo meliori modo caveri poſſit, quod in honorem ipſorum Mercatorum, & Artificum ſummopere redundat, & ad fidem illorum, propterea recurritur prout ad fidem publicæ perſonæ: Ideo hac noſtra laudabili conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod quicumque Mercator, vel alicujus artis Artifex, & Operator, qui alicui fecerit aliquam promiſſionem, cautionem, vel obligationem, de qua appareret politia, vel ſcriptura manu propria dicti Mercatoris, vel Artificis, vel ejuſdem manu approbata, & ſubſcripta, quod talis politia, vel ſcriptum, valeat, & teneat, & plenam roboris firmitatem habeat, & ei ſtetur, & credatur de omni facto, re, & quantitate, ac ſi eſſet publicum inſtrumentum, & ſcriptura manu publici Notarii ſcripta. Et per DD. Conſules debeat totali executioni demandari contra talem Mercatorem, vel Mercatoris hæredes, ſi non viveret, & bona illius ad omnem legitimè petentis inſtantiam, & petitionem ſummariè, de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, & etiam de facto, ſi ita DD. Conſulibus videbitur, & omni prorſus juris ſolemnitate ommiſſa, vel ſemel, aut bis citato, quod contenta in dicta ſcriptura adimpleat, & obſervet, qui ſi comparuerit, & terminum ad ſolvendum, ſeu obſervandum petierit, tunc terminus decem dierum, vel pauciorum ad arbitrium DD. Conſulum aſſignetur, quo termino elapſo ad obſervationem promiſſorum realiter, & perſonaliter cogi poſſit, aliquo non obſtante, ſi verò aliquis Mercator, vel Artifex negaverit, ſcripturam eſſe manu ſua ſcriptam, vel ſubſcriptam, quæ poſtea per comparationem litterarum, vel alia vera indicia patebit ſcripta manu ipſius negantis, tunc non ſolum condemnetur parti ad ſolutionem petitorum, &



Digitized by Google

refectionem damnorum, expenſarum, & intereſſe omnium per ipſos DD. Conſules taxandorum, verum etiam ad duplum quantitatis negatæ, penæ nomine pro medietate R. C. A. & pro alia medietate Arti Mercantiæ applicanda, aliquibus in contrarium facientibus minime obſtantibus.

## *De preſcriptione in exigendis creditis in libris Mercatorum.*

## RVBRICA CIV.

QVia per antiquas Artis noſtræ conſtitutiones juxta ſtatutorum Civitatis Peruſiæ formam in exactionibus pecuniarum ex cauſa librorum alicujus Mercatoris, ſeu Artificis, & politiæ, ſeu chirografi manu alicujus alterius perſonæ facti, vel factæ preſcriptio decem annorum impoſita fuit, quæ poſtmodum ab Arte noſtra fuit ad XV. annos prorogata, dummodo creditor, & debitor viverent, & quia de præſcriptione prædicta in Curia Mercantię hodie dubitatur an ſit ſervanda, nec nè; Ideo ad omne dubium tollendum, hujus noſtræ conſtitutionis tenore ſtatuimus, & ordinamus, quod quotieſcumque in Curia noſtræ Mercantiæ fuerit allegata dicta decem, ſeu quindecim annorum præſcriptio per aliquem debitorem, ſeu ejus hæredes, aut debitor, & creditor vivant, vel mortui ſint, & an alleganti ſuffragari debeat, nec nè, in DD. Conſulum prudentia omninò eſſe volumus, qui viribus utriuſque partis auditis ſuper dicta præſcriptione pronuncient, prout eis magis convenire videbitur ita, & taliter, quod licet creditum ſit præſcriptum, nihilominus poſſint compellere debitores ad ſolvendum, prout eis æquum viſum fuerit, aliquibus in contrarium facientibus non obſtantibus.

## *Quod Advocati, & Cauſidici de Curia Mercantiæ repelli poſſunt.*

## RVBRICA CV.

QVia cauſa in Curia Mercantiæ ſummariè, ſimpliciter, de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii videri, cognoſci, & terminari debent: Ideo nos cavillationes, & procraſtinationes, quæ per Advocatorum, & Cauſidicorum comparitiones evenire ſolent, tollere volentes, tenore præſentium ſtatuimus, & ordinamus, quod DD. Conſulibus liceat ad dictas cavillationes, & procraſtinationes tollendas in caſibus ſibi beneviſis, dictos Advocatos, & Cauſidicos in Curia prædicta comparentes à limine judicii repellere, & quod non audiantur in eorum Curia decernere

re, & principales etiam ad perſonaliter comparendum, ſi eis convenire videbitur pro cauſarum expeditione citari facere, & cauſas prędictas, dictis cavillationibus, & procraſtinationibus, & aliis quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus, ſecundum bonam dictæ Artis conſuetudinem ſummariè decidere, & terminare.

## *Quod ordinamenta pro Mercatoribus ad non Mercatores ſe extendant.*

### RUBRICA CVI.

ORdinamenta quæcumque hujus Matriculæ Artis Mercantię de Mercatoribus quoquo modo loquentia, intelligantur etiã, & locum habeant in non Mercatores, & in quoſcumque alios Artifices, & alias particulares perſonas ad Curiam magnificæ Artis Mercanſiæ accedentes, tam pro factu Mercantiæ, traffico, & negocio, quam pro omni, & quacumque alia re, pro qua ad DD. Conſules ejuſdem Artis in Curia prædicta recurreretur, & in eorum foro ageretur, & tractaretur, & ita dicimus, & ſtatuendo decernimus, aliquo non obſtante.

## *De Iuriſdictione DD. Conſulum in cauſis non proviſis, & de procedendo de ſimilibus ad ſimilia.*

### RVBRICA CVII.

IDoneos eſſe cenſemus, DD. Conſules Mercatorum ad providendum de cetero ſuper, tam novis emergentibus caſibus, quam etiam aliis in præſenti Matricula non proviſis. Propterea hujus conſtitutionis tenore ſtatuimus, & ordinamus, quod in caſibus non proviſis, ſeu alias de novò emergentibus DD. Conſules Mercantiæ pro tempore omnimodam auctoritatem, & facultatem habeant procedendi de ſimilibus ad ſimilia, & ſecundum prædicta ea omnia terminandi, aut alia de novo ſtatuendi, & ordinandi, prout eorum diſcretioni juſtum fore videbitur, & quid quid per eos in prędictis factum, ſtatutum, & ordinatum fuerit, valeat, & teneat, dummodo contraria non ſint ſtatutis, & ordinationibus in præſenti Matricula contentis.

## *De Salario Fancellorum ad aliquam Artem accedentium.*

### RVBRICA CVIII.

QVod mercedes, & ſalaria debita ſolvantur ſummę curę DD. Conſulibus eſſe debet, cum eam mercedum ſit privilegia-

 ta

ta . Et ideo hac noſtra conſtitutione ſancimus , & ordinamus, quod juvenes, fancelli , ſeu diſcipuli , qui ſtare voluerint, & ſteterint cum aliquo Mercatore , ſeu Artifice, aut alia perſona ad aliquam apothecam, artem , ſeu manualia negocia , & ſervitutes præſtandas, curent prius de eorum ſalario , & mercede eſſe in concordia cum magiſtris, ſeu dominis eorum , & quod certum eiſdem conſtituatur ſalarium . & de hoc fiat mentio in libris fundaci, & apothecæ, & artis prædictæ, vel alias fiat ſcriptura , vel chirografum manu ipſorum magiſtrorum , vel alterius tertiæ perſonæ ad partium requiſitionem ; aliter ſalarium aliquod petere minimè poſſint , dummodo tamen ſit eis promiſſum , ſed non certum circa quantitatem , quo caſu ſuper quantitate ſalarii tali juveni ſolvenda pronuncient dicti DD. Conſules ſecundum perſonarum , & Artis qualitatem , & quod eis viſum fuerit decernant , & conſtituant , aliquo in contrarium non obſtante ; Si verò conventio aliqua inter eos adeſſet , ſervetur conventio ; Si verò juvenis ante tempus completum à tali apotheca , & ſervitute recederet ſine expreſſa ſui magiſtri , vel domini licentia , tunc , & eo caſu ſalarium totum , & integrum perdat , & ſi quid ei pro dicto Anno ad bonum computum ſolutum eſt , reſtituere teneatur , niſi aliter DD. Conſulibus viſum fuerit , in arbitrio quorum ſit etiam aliter pronunciare ex cauſa tamen .

## *De Proviſionibus faciendis ſuper Tectis Tabulatis .*

### RUBRICA CIX.

QVando aliqua controverſia verteretur inter aliquos Mercatores, Artifices , vel alicujus Artis operarios occaſione alicujus tendæ, tabulati grelli , ſeu tecti retinendi ſupra , & ante portam alicujus apothecæ , & recurſus haberetur ad ipſos DD. Conſules, tunc , & eo caſu partibus auditis ; & loco ſi opus erit inſpecto , controverſiam dictam ſine aliquo proceſſu terminent , & decidant prout eis magis convenire videbitur , aliquo non obſtante .

## *De Apothecis , & Domibus Conductoribus non auferendis .*

### RUBRICA CX.

PReſenti capitulo antiquiora etiam ordinamenta ſequentes duximus ordinandum , quod nullus per ſe , vel alium , ſeu

alios

alios poſſit, nec debeat aliquam apothecam, locum, ſeu domum conducere ad penſionem, vel alias fructus illius emere, quam aliquis Mercator, Artifex, vel alia perſona ad penſionem haberet pro ſua mercantia, & arte exercenda, vel habitatione facienda, ſive ſit completum tempus locationis, ſive non, quouſque dictam apothecam, domum, vel locum retinens ad penſionem debitam ſolverit, & ſolvere voluerit penſionem, & omnis locatio, & conductio ſecus facta non valeat, nec teneat, ſed ſit ipſo jure nulla, & nullius ſit roboris, efficaciæ, vel momenti, ſi verò Dominus non eſſet in concordia cum conductore de penſione, DD. Conſules ſuper quantitate talis penſionis terminent, & decidant quod eis juſtum eſſe viſum fuerit, quam deciſionem ſi conductor acceptare voluerit, tunc, & eo caſu dictus locator poſſit alteri dictam rem locare finito tempore primæ locationis; Si verò Dominus rei locatę, apothecam, rem, vel domum pro ſua habitatione, vel arte exercenda realiter, & cum effectu, & non in fraudē dicti conductoris vellet rehabere, teneatur, et debeat dictam apothecam, rem, et domum eidem renunciare, per duos menſes ante finitum tempus ſuæ conductionis, ad hoc ut de alia apotheca, re, vel domo provideri poſſit, quo caſu, ſi pro ſe dictam domum, rem, vel apothecam non retinuerit, ſed alteri locaverit, tunc, et eo caſu ſi primus conductor rem ſibi locatam rehabere voluerit à ſecundo conductore, eam redimere poſſit, et valeat, et dictus ſecundus conductor eidem reſtituere teneatur, dictuſque locator propter fraudem factam in ſtatutis Civitatis Peruſiæ de materia loquentibus, incurrat; Si verò Dominus dictæ apothecæ, rei, vel domus eam venderet, vel alio quovis titulo alienaret, talis venditio, et alienatio conductori non noceat; quin minus ſtare, et morari poſſit in re ſibi locata pro tempore, quo duraret ſua conductio, et ipſe ſolviſſet, ſeu ſolvere vellet, et ſolveret debitam penſionem; Penſionario autem, et conductori debitam penſionem in tempore non ſolventi prædicta non ſuffragentur, niſi mora eſſet modici temporis, et per DD. Conſules eidem cauſa cognita remitteretur; Si quis vero conductor noluerit ulterius in conductione ſibi facta perſiſtere, tunc, et eo caſu per duos menſes ante finitam ejus conductionem debeat hoc notificare ipſi locatori, et rei domino, quod ſi non fecerit per alium annum, et ſic de anno in annum ſemper, donec renunciata non fuerit, rem prædictam reconductam eſſe pro eadem penſione, et cum pactis prius conventis intelligatur, aliquo non obſtante.

### *De non vocando accedentes ad alias Apothecas ad Emendum ad ſuam.*

## RVBRICA CXI.

NUllus Mercator, vel Artifex audeat, vel præſumat per ſe, vel ſocios, & juvenes, & fancellos ſuos vocare aliquam perſonam exiſtentem, ſeù accedentem ad emendum ad aliquam aliā Apothecam, nec Mercantias, & res alterius eidem vilipendere, pœna cuilibet contrafacienti unius floreni: Poſſit tamen, cum ante ejus Apothecam aliquis tranſierit eum interrogare, & dicere eidem ſi aliquid vult ab ejus Apotheca, ſtando tamen talis Mercator, ſeu Artifex in ejus Apotheca, & non extra.

### *Quod Paſſetta. & Pondera ſint iuſta.*

## RUBRICA CXII.

PRo bono publico, & honore totius Artis Mercantiæ antiquioribus ſanctionibus inherentes hujus Capitulj ordinatione ſtatuimus, & ordinamus quod DD: Conſules pro tempore teneantur, & debeant ſaltem bis in anno rimari, & revideri facere omnes paſſettos, & pondera Mercatorum, & aliorum Artificum Civitatis, & Comitatus Peruſiæ, & videre ſi ſint juſta, & in eis adſit aliquà fraus, vel malitia, quod ſi invenerint florenorum duorum pœna vel alias eis benevisa R. C. A. & Arti Mercantiæ applicanda reos multari curabunt, ad refectionem fraudolenter perceptorum condemnabunt, & paſſetta, & pondera iniuſta rumpi facere debebunt aliquo non obſtante.

### *De Iuriſdictione DD. Conſulum contra Gabellarios.*

## RVBRICA CXIII.

QUia DD: Conſules Artis Mercantiæ, ex forma Statutorum, & ordinamentorum Communis Peruſiæ juriſdictionem habent videndi, cognoſcendi, & terminandi ſuper omnibus, & ſingulis querelis, recurſibus, & gravaminibus, quæ coram eis ponerentur, & fierent à quolibet Gabellario, & exactore gabellarum Communis Peruſiæ. Ideo hac noſtra Conſtitutione duximus ordinandum, quod DD: Conſules pro tempore teneantur, & debeant omnes recurſus, & querelas coram eis factas, & habitas à quacumque perſona de quocumque gravamine à quolibet Gabellario Gabellarum Communis Peruſiæ, eorumque agentibus, miniſtris, & famulis videre, cognoſcere, decidere,

dere, & terminare de plano ſine ſtrepitu, & figura Iudicii, de jure, veritate, & æquitate, & ſine alicujus decimi ſolutione infrà menſem à diè poſitæ, & datæ querelæ juxta formam dictorum Statutorum aliquo non obſtante.

## *De Iuriſdictione DD: Conſulum in cauſis S. Franciſci Minorum Conventualium.*

## RVBRICA CXIV.

Quia cauſæ, & negocia Fratruum, & Conventus Sancti Franciſci Minorum Conventualium de Peruſia, aliarumque Eccleſiarum, & locorum in Comitatu Peruſiæ exiſtentiū dicto Conventui ſubjectorum fuerunt alias commiſſæ DD: Conſulibus pro tempore Magnificæ Artis Mercantiæ, & juriſdictionem cognoſcendi, decidendi, finèque debito terminandi eas, & ea habuerunt, & habent dicti DD. Conſules prout ex infraſcriptis licteris alias coram eis exhibitis ſub anno Domini MCCCCLXVIII. Indictione VI. Tempore Domini Pii Divina Providentia Papæ ſecundi diè VIII. Septembris continetur: Quas hic inferius dè verbo, ad verbum regiſtrari, & deſcribi volumus, ſuntque in poſſeſſione dictam juriſdictionem exercendi; Ideo quia prout in dictis licteris exprimitur res Dei agitur, Statuimus, & ſtatuendo decernimus, & declaramus quod DD: Conſules pro tempore curent quanto citius fieri poterit cognoſcere, decidere, & terminare omnes dicti Conventus, & aliorum illius locorum, & Fratruum illorum cauſas, quæ coram eis contra quaſcumque perſonas moverentur juxtà facultates eis traditas, & ſtylum conſuetudinem Curiæ Mercantiæ aliquo in contrarium non obſtante.

### *Tenor verò Licterarum eſt videlicet.*

Bartholomeus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Cornetanus Peruſii pro S. R. E. & Sanctiſſimo D. N. Papa Gubernator; Dilectis in Chriſto vobis ſpectabilibus Viris Conſulibus Artis Mercantiæ Civitatis Peruſii præſentibus, & futuris ſalutem in Domino diligentiam, ſolicitudinemque in agendis conſtruendis, gubernandiſque omnimodum; Non nullorum Civium Peruſinorum crebra relatione percipemus, quod Eccleſia S. Franciſci de Peruſio Portę Sanctæ Suſannæ, quæ olim ruinam evidentiſſime minabatur, niſi remediis opportunis celeriter per viros ad hoc electos proviſum fuiſſe per Rev: in Chriſto Patrem, & Dominum recolendæ memoriæ A S. R. E. Cardinalem Epiſcopum

pum Portuenſem vulgariter nuncupatum Cardinalem Bononienſem dudum Peruſii, Tuderti, Ducatus Spoletani Apoſtolicæ ſedis Legatum, & Vicarium Generalem irremediabilis ruinam, ejuſde Eccleſiæ eveniſſe, quod ad deformitatem enormem Civitatis Peruſinæ, cecidiſſet, divinuſque cultus periiſſet, quinimmo ibidem devotionis fervor non parum frigiſſet, pro quibus idem remediis adhibitis in futurum adhibendis pro reparanda certa parte ejuſdem Eccleſiæ ad Domorum officinalium eidem Eccleſiæ, & Baſilicæ coniunctarum extitit non parva neceſſitate opportunum; Plurimum habito ſuper hoc maturo Concilio deputarent boni nominis, & famæ Cives conſcientiæ timorati, Deumque timentes qui aſſiduà vigilantià hoc curarent, veluti præfati DD: Cardinales plenius decretum continet, ut noſtris oculis inſpeximus accurate; Sed quia parum eſt conſtruere, ædificare, & reparare, niſi conſtructaque diuturnius præſtare nequeunt, præſerventur, manutencantur, & creſcant. Hoc autem ut deſideratum finem attingere commodius poſſit expedit ut exigantur qui devotione Civium Eccleſiæ prædictæ, ac aliis Eccleſiis, ſeù locis in Comitatu Peruſiæ conſtitutis, ſeù Capitulo, aut Conventui ipſarum Eccleſiarum, vel alicuius earum, vel locorum relicta ſunt, illis locis exceptis, quæ vicario Minorum de obſervantia ſunt ſubiecta, ut idem poſſint dictæ Eccleſiæ loca perfectè conſervari, manuteneri, & faveri quę quidem niſi per Viros Deo, & hominibus amabiles, ut vos per experientiam comprobati eſtis, fieri poſſe cognovimus. Ideo harum ſerie vobis committimus, & tradimus in mandatis; quatenus quæcumque relicta legata, ſeù hereditario nomine dimiſſa, aut donatione facta inter vivos, vel cauſa mortis, & quæcumque alia quocumque alio modo, vel titulo etiam voto conceſſa, collata, et concedenda, & conferenda alicui dictarum Eccleſiarum, vel capitulo, vel fratribus univerſaliter, vel ſingulariter fratribus dictarum Ecclæſiarum Conventuum, & locorum, & quæ infuturum relinquentur, fient, concedentur, & conferentur eyſdem à quibuſcumque perſonis quocumque modo, vel cauſa, vel conditione, Et ſi à locis, ſeù fratribus aliquorum Conventuum etiam extra diſtrictum, ſeu pertinentiis Peruſii commorantibus poſſit exigi per ſindicum, & procuratorem Eccleſiæ Sancti Franciſci Portę S. Subſannæ ſecundum formam ſtatutorii Communis Peruſii Summariè, & de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii per adprehenſionem bonorum eorum, qui ſic relinquerint, conceſſerint, aut deſtinaverint, aut eorum hæredum, & à quorumcumque manus dicta bona pervenerint, vel per quoſ-

cumque

cumque diſtracta extiterent etiam per eorum carcerationem, & per adprenſionem bonorum eorum, qui aliquid de bonis eorum, qui ſic ut permittitur relinquerint, conceſſerint, vel deſtinaverint, poſſederint, autem etiam aliquid hæredibus, vel hæreditati prædictorum, aut etiam cuicumque alteri debenti ex quacumque cauſa aliquid dictis Eccleſiis, vel locis, aut alicui ipſarum Eccleſiarum, vel locorum, ſeu capitulo, vel Conventui aut fratribus alicujus res dictarum Eccleſiarum, vel locorum aliquid deberent etiam ſi vellent agere contra Eccleſiaſticas perſonas, vel loca Eccleſiaſtica; Etiam ſi unus frater tantum vellet peteræ bona Patris, vel Matris, vel conſanguinei alterius, vel affinis ad ſe ſpectantia, prout continetur in Bulla Clementis Papæ Quarti conceſſa Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, etiam omni juris, vel ſtatutorum ordine pretermiſſo vobis liberam, & abſolutam poteſtatem concedimus in prædictis circa prædicta, & circa dependentia ab eiſdem inobedientes, ſeù reſiſtentes violandi, capiendi, pignorandi, gravandi, puniendi, ut videbitis expedire, taliaque bona ſic ut premittitur apræhenſa volumus, ſi vobis videbitur, aut ſaltem veſtrum tribus per ſindicum Fratruum ex forma ſtatuti deputatum dicta bona, & alia bona quæcumque relicta, vel perventa ad dictam Eccleſiam vendantur cum conſenſu Guardiani, & aliquorum Fratruum ſecundum, quod conſuetum eſt, & in Bullis Apoſtolicis continetur; Et ſecundum quod venduntur res, quæ alienari debent de neceſſitate lege mandante, & pretium ipſorum bonorum expendatur prout relictum eſt in reparatione illius Eccleſiæ cujus ſunt dicta bona, & ad quam pertinent, prout ſunt dimiſſa, qua venditione facta, dictus Sindicus inſtrumentum venditionis facere teneatur emptori dictarum rerum, ut ipſe emptor ſit ſecurus & nullo unquam tempore ipſe, vel qui cauſam habuerit ab eo pro re illa inquietari, & moleſtari poſſit per aliquem ſucceſſorem, vel habentem cauſam ab eo, qui talem rem reliquerit, vel donaverit, nec ab ipſo Conventu etiam; & in caſu, quo à quocumque tertio res prædicta moleſtaretur, vel vinceretur, teneatur dictum Commune Peruſii, nec non dictus Conventus, vel Eccleſia, aut locus, qui venderet de emunitate ipſi emptori, ut ipſi emptori, & habenti cauſam ab eo illam pacifice, & quiete habere liceat. Et nullus officialis Communis Peruſii pro re illa illum en pretium inquietare poſſit ad petitionem cuiuſcumque ſucceſſoris dicti relinquentis, vel donantis, vel prætendentis, ſeù ſucceſſorem, vel ab eo relinquente, vel donante habere cau-

ſam

ſam, ſed potius eum defendere debeat in poſſeſſione, & retentione talis rei, ſi ab eo, qui emerit, vel ut prædicitur obtulerit, vel legitimo Procuratore fuerit requiſitus, & inſuper quod in prædictis, & circa prædicta, vel aliquod prędictorum, & in quolibet ipſorum, & independentibus ab eis, vel aliquorum, & incidentibus, & connexis eiſdem procedere poſſit cum ſcriptura, & ſine ſcriptura ſecundum quod conſcientiæ veſtræ videbitur, & ſuper quibus omnibus, & quolibet ipſorum, quia res Dei agitur, & Eccleſiæ S. Franciſci veſtras conſcientias oneramus. Et inſuper volumus pro manutenenda dicta Eccleſia S. Franciſci Por. Sanctæ Subſannę, & alias ſupradictas Eccleſias per Sindicum, & Procuratorem economum expendi poſſit, ut expediens erit, quæ dè prædictis exigerentur, vel quæ aliunde perſolverentur pro ſubſtentatione Eccleſiæ antedictę, & alijs ſupra expreſſis ut melius videbitur, ac condecentius, prout temporis, & rei oportunitas exiget; Nolumus tamen in prædictis, neque in aliquo prædictorum ſubintelligi loca ſubiecta Vicario Fratruum dè obſervantia, ratum, gratum, & firmum, ex nunc habentes, quidquid putaveritis expendendum fore ſuper omnibus, & quolibet prædictorum, quia res Dei agitur, ut diximus veſtras conſcientias oneramus, Mandantes Poteſtati, & Capitaneo Communis Peruſii, & omnibus aliis officialibus ejuſdem Civitatis, & Comitatus Peruſiæ præſentibus, futuris, Civibus, & forenſibus, quatenus ad omnem veſtrum judicium, & procuratoris requiſitionem exibeant omnes eorum officiales, & familiam promptos ad obedientiam pro executione prædictorum, vel alicujus eorum ſeù dependentium ab eiſdem ſub pœna florenorum centum quoties in prędictis fuerint negligentes; Et ut omnis removeatur materia dubitandi, quia non ſemper commode omnes ſimul intereſſe poterint ad præmiſſa, decernimus quod quęcumque per tres veſtrorum ſimul congregatos facta, geſta, dicta, vel mandata fuerint, valeant, & teneant, ac ſi per vos omnes geſta, dicta, vel mandata forent, etiam ſi non appareret quod alter requiſitus fuerit. In quorum omnium, & ſingulorum fidem, & teſtimonium atque robur pręſentes licteras fieri, regiſtrarique mandauimus, noſtrique pontificalis ſigilli juſſimus appenſione muniri. Datum Peruſii in Palatio noſtrę ſolitæ reſidentię diè XXIV. Menſis Iulii M. CCCCLVIII. Pontificatus Santiſſimi D. N. D. Caliſti Papę tertii Anno quarto.



Digitized by Google

## *De juriſdictione DD. Conſulum in cauſis aliarum Artium, & Artificum.*

### RVBRICA CXV.

QVia DD. Conſules Mercantiæ veram, et certam jurisdictionem habent videndi, cognoſcendi, decidendi, et terminandi omnes, et quaſcumque lites, cauſas, queſtiones, diſcordias, & controverſias, quæ orirentur, & oriri poſſent inter quamcumque Artem Civitatis Peruſiæ ex una, & Iuratos ipſius Artis ex altera, ſeu inter Artem, & Artem, vel inter Iuratos alicujus Artis cum Juratis alterius Artis occaſione artis, vel inter non Iuratos alicujus Artis cum aliquo alicujus Artis Iurato, vel aliqua Arte occaſione Artis, & è contra. Ideo hac præſenti conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod DD. Conſules teneantur, & debeant omnes cauſas prædictas, quæ coram eis quomodolibet moverentur inter perſonas, Iuratos, & Artes prædictas, per compoſitionem de partium conſenſu decidere, & terminare ſi fieri poterit: Si autem hoc fieri non poterit, cauſas prædictas cognoſcant, terminent, & decidant ſecundum bonam conſuetudinem dictæ Artis, & facultates eis traditas in cognitione, & deciſione cauſarum, aliquo non obſtante.

## *De electione Nunciorum, eorumque Salario.*

### RUBRICA CXVI.

NVncios Artis Mercantiæ uſque ad numerum quatuor cum ſolito juramento eligendi, & deputandi, & electos ad eorum arbitrium multandi, removendi, & caſſandi hujus capituli tenore DD. Conſulibus pro tempore dictæ Artis omnimodam auctoritatem, & facultatem damus, concedimus, & impartimur, quibus D. Prior teneatur, & debeat quolibet anno dare pro eorum ſalario, & mercede ſcutos octo, & bajoccos quadraginta ſine alio mandato de anno in annum, vel de menſe in menſem ad rationem juliorum ſeptem pro menſe quolibet, prout ipſi Nuncii voluerint; Habeant inſuper Nuncii prædicti in quatuor principalioribus luminaribus portionem unam pro quolibet, & mediam libram ceræ, & pariter portionem unam pro quolibet habeant à quolibet Iurato, Conſultore, Procuratore, et Notario in eorum ingreſſu in Arte, induanturque ab Arte cum ſolitis indumentis panni pavonazzi in luminaribus, adunantiis, et aliis ſolemnitatibus, quæ indumenta expenſis Artis fiant à Priore quotieſcumque opus fuerit ſine alio mandato.

Ego Silverius Rettabenius q: Iulii Baptiſtæ filius civis, ac publicus Apoſtolica, et Imperiali auctoritate Notarius Collegiatus Peruſinus, Iudexque ordinarius in P. S. S. ac Parochia S. Antonini degens, Illuſtriſque Artis Mercantię actuarius, et ad novam congeſtionem, ſeu refectionem ſupradictæ Matriculæ, et prædictorum omnium, per ſupradictos Perilluſtres DD. Congeſtores, et Refectores ſpecialiter vocatus, quia inceptioni, proſequtioni, atque perfectioni ſupradictorum omnium ſemper interfui, et in eorum compilatione, et perfectione multum opere, ſtudiiſque poſui, et de eis omnibus à ſupradictis ſtatuentibus, et ordinantibus ſic ut ſupra ſtatutis, et ordinatis rogatus extiti, et per alios mihi fidos conſcribere feci, ideo in huius rei teſtimonium, et fidem requiſitus propria mea manu ſubſcripſi, et ſolito meo ſigno ſignavi, quod omne Deum precor omnipotentem eſſe in ejus honorem, et publici utilitatem Amen.

Loco ✠ Signi

## *Illuſtrriſſime, & Reverendiſſime Domine.*

PLaceat D. V. Illuſtriſſimę, et Reverendiſſimę ad humiles preces devotorum illius Oratorum DD: Conſulum, et Iuratorum Artis Mercantiæ Civitatis Peruſiæ conſtitutiones, ſtatuta, et ordinamenta omnia in ſupradicta eorum nova Matricula contenta, et deſcripta approbare, et confirmare, et Apoſtolica qua fungitur auctoritate perpetui roboris munimine roborare, et mandare ab omnibus perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari, quibuſcumbue in contrarium facientibus non obſtantibus, quibus placeat &c.

SVpradicta capitula, conſtitutiones, ordinationes, & ſtatuta benevisa, diligenter inſpecta, & conſiderata, & matura ſuper illis deliberatione pręhabita tamquam juſta, rationabilia, & bonum publicum amplectentia, Dummodo non ſint contraria Sacris Canonibus, conſtitutionibus Sacroſancti Concili Tridentini, Bullis ſummorum Pontificum, & non adverſentur libertati Eccleſiaſticę, Apoſtolica qua fungimur auctoritate ex certa noſtra ſcientia in omnibus, & per omnia confirmamus, approbamus, & plenum eis robur impartimur, & ab omnibus perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari mandamus, quibuſcumque in contrarium facientibus non obſtantibus.

Datum Peruſiæ die 11. Martii 1606.

B. CARDINALIS BEVILACQVA LEGATVS.

Ioannes Paulus Carpi Ferrarienſis Locumtenens.

*Vliſſes Marocchius Secretarius.*

*Nomina Illuſtriſſimorum DD: Iuratorum Viventium.*

# PORTÆ HEBURNEÆ

D. Hyeronimus D. Fulvii de Cantagallinis receptus diè 19. Iunii 1664.

D. Michaelangelus bo. me. D. Aſtoris de Benincaſiis receptus diè 21. Auguſti 1680.

D. Dioniſius bo. me. D. Rainerii de Criſpoltis obtentus ad Iuramentum diè 11. Decembris 1683.

D. Co. Iulius bo. me. D. Bernardini de Ceſariis obtentus ad Iuramentum diè 10. Novembris 1689.

D. Co. Franciſcus bo. me. D. Bernardini de Ceſariis obtentus ad Iuramentum diè 10. Novembris 1689.

D. Andreas bo. me. D. Pandulphi de Anſideis obtentus ad Iuramentum diè 28. Iulii 1701.



Digitized by Google

*Nomina Illuſtriſſimorum DD. Iuratorum Viventium.*

# PORTÆ S. PETRI

D. Carolus bo. me. D. Troioli dè Balleonibus receptus diè 30. Iunii 1672.

D. Marcus Antonius D. Hectoris de Florentiis receptus diè 30. Decembris 1675.

D. Annibal de Fiumagiolis Filius D. Herculis dè Fiumagiolis Filii bo. me. D. Annibalis de Floramontibus receptus ad Iuramentum diè 7. Menſis Augſti 1680.

D. Galeottus bo. me. D. Troioli de Balleonibus obtentus ad Iuramentum die 10. Novembris 1689.

D. Gentiles bo. me. D. Aurelii de Ubaldis obtentus diè 8. Menſis Maii 1695.

D. Uguccionus D. Io. Franciſci de Borbonis ex Marchionibus Caſtri Sorbelli obtentus diè 29. Iulii 1696

D. Philippus bo. me. D. Antonii de Meniconibus obtentus ad Iuramentum diè 27. Novembris 1701.



Digitized by Google

Digitized by Google

*Nomina Illuſtriſſimorum DD. Iuratorum Viventium*

# PORTÆ SOLIS

D. Ioannes Vrſus D. Darii de Nobilibus de Monteſperello receptus ad Iuramentnm die 17. Menſis Novembris 1668.

D. Hieronymus bo. me. D. Vittorii de Alphanis obtentus ad Iuramentum die 10. Novembris 1689.

D. Philippus D. Ioſephi de Anſideis obtentus die 8. Maii 1695.

D. Comes Tiberius D. Com. Ruggerii de Raineriis obtentus die 18. Menſis Iulii 1695.

D. Comes Claudius de Aureliis obtentus die 23. Maii 1700.

D. Ioannes Fęedericus de Floramontibus bo: me. D. Franciſci de Floramontibus obtentus die 28. Iunii 1701.



Digitized by Google

Digitized by Google

*Nomina Illuſtriſſimorum DD. Iuratorum Viventium*

# PORTÆ S. ANGELI

D. Diomedes q. D. Fabii de Arrigutiis receptus diè 29. Iunii 1676.

D. Hector bo. me. D. Columnelli Hieronymi de Gratianis receptus diè 30. Decembris 1676.

D. Marchio Alexander bo. me. D. Marchionis Franciſci de Coppulis receptus ad Iuramentum diè 11. Novembris 1683.

D. Comes Alexander bo. me. D. Comiti Pompei dè Eugeniis, receptus ad Iuramentum diè 29. Octobris 1686.

D. Marchio Laurentius bo. me. D. Ermanni de Rubeis obtentus diè 26. Iunii 1695.

D. Philippus de Vinciolis bo. me. D. Franciſci de Viniolis obtentus diè 24. Iulii 1701.



Digitized by Google

*Nomina Illuſtriſſimorum DD. Iuratorum Viventium*

# PORTÆ S. SUSANNÆ

D. Philippus bo. me. D. Caroli de Alexandris receptus diè 6. Decembris 1677.

D. Franciſcus bo. me. D. Ubaldi de Colis receptus diè 8. Aprilis 1686.

D. Fulvius bo. me. D. Ubaldi de Colis receptus ad Iuramentum diè 8 Aprilis 1686.

D. Ioſephus D. Gaſparis de Criſpoltis obtentus ad Iuramentum diè 10. Novembris 1689.

D. Marchio Petrus Antonius D. Rodulphi de Monaldis obtentus diè 18. Iulii 1695.

D. Io. Baptiſta bo. me. D. Angeli de Vermiliolis obtentus diè 25. Settembris 1695.

D. Comes Franciſcus D. Comitis Angeli de Oddis obtentus diè 28. Iulii 1701.

Digitized by Google

Digitized by Google

# INDEX RUBRICARUM

## Hujus Libri.


| | | |
|---|---|---|
| DE neceſſaria Matricula reſectione. | Rub. 1 | 5 |
| De officio DD. Cpnſulum. | Rub. 2 | 7 |
| De numero DD. Conſulum. | Rub. 3 | 8 |
| De Iuramento præſtando DD. Conſulibus in principio officii. | Rub. 4 | ibid: |
| De obbedientia præſtanda DD. Conſulibus. | Rub. 5 | 9 |
| Quod ſemper duo Conſules in Civitate ſtare debeant. | Rub. 6 | ibid |
| Per duos Conſules Conſulatus negocia expediri poſſunt in aliorum abſentiam. | Rub. 7 | 10 |
| De electione DD. Conſulum in certis caſibus. | Rub. 8 | ibid. |
| In vacationibus officiorum quæ facienda. | Rub. 9 | 11 |
| Contra officiales non exercentes eorum officia. | Rub. 10 | 12 |
| De modo congregandi Adunantias. | Rub. 11 | ibid. |
| De non recedendo ab Adunantiis niſi completis. | Rub. 12 | 13 |
| De numero Iuratorum facientium generalem Adunantiam. | Rub. 13 | ibid. |
| De modo conſulendi in Arte. | Rub. 14 | 14 |
| De non propalando tractanda in Adunantiis. | Rub. 15 | ibid. |
| De modo mittendi partita in Arte. | Rub. 16 | 15 |
| De partitis ſemel deperditis iterum proponendis. | Rub. 17 | ibid. |
| De ſervandis in concedendo locum obtineri volentibus in Arte. | Rub. 18 | ibid. |
| De ſervandis per volentes ingredi Artem. | Rub. 19 | 16 |
| De ſervandis in obtentione Iuratorum in Arte. | Rub. 20 | ibid. |
| De ſervandis in abſentiam alicujus Iurati pro ponendis partitis, & aliis exequendis. | Rub. 21 | 17 |
| De Iuramento præſtando novis Iuratis in eorum receptione. | Rub. 22 | ibid. |
| Quod nullus poſſit ſe caſſari ab Arte ſine licentia. | Rub. 23 | 18 |
| De officiis ab aliis Artibus non recipiendis. | Rub. 24 | ibid. |
| De abſtinendo ſe ab illicitis. | Rub. 25 | ibid. |
| De electione Prioris Artis. | Rub. 26 | 19 |
| De ſervandis per Priorem Artis. | Rub. 27 | ibid |
| De auctoritatibus Prioris Artis. | Rub. 28 | 21 |
| De Equo, & Animalibus non accommodandis. | Rub. 29 | 23 |


De

| | | |
|---|---|---|
| De convivijs non faciendis in domibus Artis. | Rub. 30 | ibid. |
| De ſalario, & emolumentis Prioris Artis. | Rub. 31 | ibid. |
| De computis reddendis per Priorem Artis. | Rub. 32 | 24 |
| De Reviſoribus eligendis ad revidendum computa Priori. | Rub. 33 | ibid. |
| De nova electione Prioris facienda in certis caſibus. | Rub. 34 | 25 |
| De receptione Conſultorum in Arte. | Rub. 35 | ibid. |
| De Iuramento praſtando DD. Conſulibus in eorum receptione. | Rub. 36 | 27 |
| De officio DD. Conſultorum in Arte. | Rub. 37 | 27 |
| De ſportulis dandis DD. Conſultoribus in ſententiis ferendis cum voto eorum. | Rub. 38 | ibid. |
| De receptione Procuratoris in Arte. | Rub. 39 | ibid. |
| De Iuramento præſtando Artis Procuratori. | Rub. 40 | 28 |
| De officio, & auctoritatibus Procuratoris Artis. | Rub. 41 | 29 |
| De receptione Notariorum in Arte. | Rub. 42 | ibid. |
| De Iuramento Notariis dando in eorum receptione. | Rub. 43 | 30 |
| De Notariorum Artis officio. | Rub. 44 | 31 |
| De Iuramento præſtando Mercatoribus eligendis ad officium Decemviratus. | Rub. 45 | ibid. |
| De obedientia à DD. Prioribus DD. Conſulibus præſtanda. | Rub. 46 | 32 |
| De Sindicatu non concedendo officialibus eorum officio durante. | Rub. 47 | ibid. |
| Quod fiat liber ſervandorum per Priores Palatii. | Rub. 48 | ibid. |
| Servanda per Priores Palatii. | Rub. 49 | 33 |
| De Computiſta, & eius ſalario. | Rub. 50 | 34 |
| De Viſitatoribus quolibet anno in Arte eligendis. | Rub. 51 | 25 |
| De deſcriptione, & planta Bonorum Artis facienda. | Rub. 52 | 35 |
| De viſitatione Iuratorum, & aliorum tempore luctus. | Rub. 53 | ibid |
| De ſubveniendo Artis egenibus, & eorum filiabus dotandis. | Rub. 54 | ibid. |
| De favore præſtando illis de Arte in eorum indigentiis. | Rub. 55 | 37 |
| De accedendo ad luminaria. | Rub. 56 | ibid. |
| De facultis quibuſdam de Arte in Luminaribus dandis. | Rub. 57 | 38 |
| De cera danda in proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti. | Rub. 58 | 39 |
| De auctoritate DD. Conſulum in multando illos de Arte. | Rub. 59 | ibid. |
| De viſitatione Hoſpitalis per DD. Conſules facienda. | Rub. 60 | ibid. |
| De Livellis recipiendis in die feſtus omnium Sanctorum. | Rub. 61 | 40 |
| De ſolutione Doghana. | Rub. 62 | ibid. |


De

De commendatione Sapientię novę DD. Conſulibus. Rub. 63 ibid
De Viſitatoribus Montis Lucidi. Rub. 64 41
De Superſtitibus Fabricæ S. Laurentii. Rub. 65 ibid
De interventu DD. Conſulum in refectione Sacculi Auditorum Rotæ. Rub. 66 42
De Sindicatoribus Rotæ Peruſinæ. Rub. 67 ibid.
De Communantia Stateræ. Rub. 68 43
Capitula, & faculeates Stateræ. Rub. 69 ibid.
De iuriſdictione in Montem Spinellum exercenda. Rub. 70 45
De commendatum habendo Montem Conſulinum. Rub. 71 46
De officio Annonæ, & eius iuriſdictione. Rub. 72 47
De Scripturis in Archivio Artis conſervandis. Rub. 73 ibid.
De iuriſdictione DD. Conſulum in cognitione cauſarum. Rub. 74 48
De non appellando per illos de Arte à præceptis, & ſententiis DD. Conſulum. Rub. 75 ibid.
De pœna illorum de Arte declinantium à iuriſdictione DD. Conſulum. Rub. 76 49
De Iure reddendo. Rub. 77 ibid.
De modo procedendi in cauſis civilibus. Rub. 78 50
De ſolutione decimi. Rub. 79 53
De executione licentiarum in Curia Mercantiæ relaxatarum. Rub. 80 ibid.
De tenutis accipiendis. Rub. 81 54
De revocatione licentiarum. Rub. 82 56
De habente rem in pignus. Rub. 83 ibid.
De Summariis arreſtationibus; & mandatis ſuſpectionis de fuga. Rub. 84 57
De permiſſa ſequeſtratione. Rub. 85 58
Quod quilibet de apotheca agere, & exigere poſſit. Rub. 86 59
Quod ſocii teneantur inſolidum. Rub. 87 ibid.
De confeſſionibus iudicialibus apud acta faciendis. Rub. 88 60
De abſtinendo ſe ab inlicitis verbis coram DD. Conſulibus. Rub. 89 61
De ſervando in obitu Mercatorum, & aliorum ſine filiis, & hæredibus. Rub. 90 ibid
De modo tenendo contra rumpentes, & fallitos. Rub. 91 62
Quod committentes fraudem puniantur. Rub. 92. 63
De Barocchalis non faciendis. Rub. 93 ibid.
De confeſſionibus non faciendis ex inhoneſtis, & uſurariis cauſis, & licentiis propterea non concedendis. Rub. 94 64
De recolligendis pannis, & aliis mercibus à Mercatoribus infra certum tempus. Rub. 95 ibid.
Quod filius familias Mercator, & Artis Operator,

&

Digitized by Google

| | | |
|---|---|---|
| & Pater pro eo, teneantur ad ſolutionem debitorum. | Rub. 96 | 65 |
| Quod promiſſio incerta, & ſine cauſa reddatur nulla. | Rub. 97. | ibid. |
| De numero DD. Conſulum in ſententiis ferendis. | Rub. 98 | ibid. |
| De feriis. | Rub. 99 | 66 |
| De approbatione librorum. | Rub. 100 | 71 |
| De approbatione aliarum ſcripturarum facienda. | Rub. 101 | ibid |
| Quomodo libris Mercatorum non approbatorum adhibeatur fides. | Rub. 102 | 72 |
| De executione apodixarum. | Rub. 103 | 73 |
| De praſcriptione in exigendis creditis in libris Mercatorum. | Rub. 104 | 74 |
| Quod Advocati, & Cauſidici de Curia Mercantie expelli poſſint. | Rub. 105 | ibid. |
| Quod ordinamenta pro Mercatoribus ad non Mercatores ſe eſtendant. | Rub. 106 | 75 |
| De iuriſdictione DD. Conſulum in cauſis non proviſis. | Rub. 107 | ibid. |
| De ſalariis fancellorum ad aliquam artem accedentium: | Rub. 108 | ibid. |
| De proviſionibus faciendis ſuper tectis tabulatis. | Rub. 109 | 76 |
| De Apothecis, & domibus conductoribus non auferendis. | Rub. 110 | ibid. |
| De non vocando accedentes ad aliam Apothecam. | Rub. 111 | 78 |
| Quod paſſetta, & pondera ſint iuſta. | Rub. 112 | ibid. |
| De iuriſdictione DD. Conſulum contra Gabellarios. | Rub. 113 | ibid. |
| De iuriſdictione DD. Conſulum in cauſis S. Franciſci Minorum Conventualium. | Rub. 114. | 79 |
| De iuriſdictione DD. Conſulum in cauſis aliarum Artium, & Artificum, | Rub. 115. | 83 |
| De electione Nunciorum, eorumque ſalario. | Rub. 116 | ibid. |

EINIS:

Digitized by Google

Digitized by Google

*IMPRIMATVR*

Pro Illuſtriſs. ac Reverendiſs. D.
D. Antonio Felice Marſilio
Epiſcopo Peruſino.

*Io: Bernardinus Morandus &c.*

---

*IMPRIMATVR*

Er. Paulus de Oſtavianis Ordinis
Predicatorum Inquiſitor Generalis Peruſiæ &c.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# Nota d' alcuni decreti fatti dagl' Illuſtriſſimi Sig: Giurati del Nobiliſſimo Collegio della Mercantia ne' tempi infraſcritti.

## *Conſtitutione da oſſervarſi dal detto Nobiliſſimo Collegio nel diſpenſare le doti ſolite darſi nel Lume di S. Ercolano, fatta l'Anno 1646. il dì 28. Febararo.*

CHE per le Zitelle da nominarſi debbano darſi le fedi del Batteſimo, e de' coſtumi, tanto di eſſe Zitelle, che de' loro Antenati, cioè che ſiano di Padri, e Madri honorati, d' età, che habbino compito anni ſeddici, e non paſſati trenta.

## *Reduttione de' Sig: Giurati al numero di venti per quelli, che voleſſero eſſere aggregati in detto Nobiliſſimo Collegio, e che vi haveſſero havuto l' Avo nell'iſteſſo Collegio.*

CHE per rendere qualche maggiore facilità à quei ſoggetti, che deſiderano d aggregarſi in queſto Collegio, e che ſeco hanno tutti quei requiſiti, che ſi richiedono dalla Nobiltà del medeſimo riduſſero il numero de' Sig: Giurati a venti, come dal decreto fatto il dì 14. Agoſto 1664. havendo però in detto Collegio i loro Avi.

## *Decreto ſopra quelli, che voleſſero aggregarſi in detto Nobiliſſimo Collegio, e loro requiſiti fatto il dì 24. Agoſto 1670. dalla Generale Adunanza,*

CHE in avvenire dalli detti Sig. Conſoli non ſi poſſi dare il luogo, ne ammettere alle pratiche alcun Soggetto, che deſidera entrare in queſto nobiliſſimo Collegio, ſe non provarà chiaramente di havere havuto almeno un' Aſcendente, o Tranverſale della ſua famiglia in queſto nobiliſſimo Collegio, & in defetto di queſto requiſito, non provarà autenticamente di havere ducento anni di nobiltà della ſua famiglia paterna, nella forma, che per il quarto della medeſima uſano quelli,

 che

che prendono l'habito della Religione di Malta, quali prove non poſſino eſſer ricognoſciute, o ammeſſe per legitime, che dalla Generale Adunanza, ne approvate per tali che dalle due parti delle tre de' voti almeno, e che il preſente decreto in modo alcuno non ſi poſſi derogare, ne in tutto, ne in parte, che dalla medeſima generale Adunanza à tutti voti favorevoli, e così, e non altrimenti, ne in altro modo.

## *Capitoli ſopra il Sig. Priore Clerico fatti il dì 28. Gennaro 1671.*

CHE il Sig. Priore Clerico debba havere il maneggio degli effetti di detto nobiliſſimo Collegio.

Che à detto Sig. Priore Clerico le ſi debba dare l'offitiatura della Cappella di S. Bernardino con li ſoliti emolumenti, levando l'arbitrio del Sig. Priore Laico in conferire detta Cappella ad altri, & oltre à ciò ſcudi 25. annui, l'habitatione delle ſtanze, il frutto dell'otto, e le portioni ſolite ne' Lumi, & ingreſſo de' Signori Giurati.

Et in oltre al Miniſtro da tenerſi da detto Sig. Prior Clerico li ſi aſſegna la provviſione, che detto nobiliſſimo Collegio era ſolito dare al Fattore di ſcudi 15. annui, ſome 2. di grano, 12. barili giuſti di vino pulito, un mezzolino d'olio, le ſtanze, e le portioni nell'ingreſſo de' Sig. Giurati.

Dovrà il Sig. Priore Clerico prima di prendere il maneggio, o conſegna di coſa alcuna del Collegio, e ne pure delle ſtanze, dare idonee ſigurtà d'approvarſi dalla generale adunanza, o di chi dalla medeſima verrà a ciò deputato, di bene, e diligentemente amminiſtrare le coſe del Collegio, e di conſegnare ciaſcheduno anno dentro il meſe di Decembre alli Sig. Conſoli per rogito di Notaro il libro de ſuoi conti, ad effetto, che da medeſimi Signori Conſoli li ſi poſſino deputare li Reviſori, li quali unitamente con il Sig. Prior Laico dovranno rivederli, per farne la relatione in publica adunanza in occaſione del Lume di S. Ercolano, nel qual tempo dovrà ciaſchedun'anno rimetterſi à partito per riſermarlo, o licentiarlo ſecondo il merito delle ſue operationi. Dichiarando incapace di riferma quello, che dentro il meſe di Decembre non haverà come ſopra conſegnato il libro de' ſuoi conti, obligando li Sig. Conſoli, e Signore Priore Laico à ritorli le chiavi, e dichiararlo privo dell'offitio dentro la prima ſettimana di Gennaro, ad effetto di eleggere il nuovo Priore al primo Lume di S. Coſtanzo.

Non

Non potrà il Sig. Priore Clerico ſtabilire vendita d'alcuna quantità di grano, vino, & olio ſenza participatione, e precedente conſenſo del Sig. Prior Laico, nè dovrà mandare Fattore ad aſſiſtere alle raccolte de' beni ſenza conſenſo come ſopra.

## *Decreto fatto il dì 14. Agoſto 1673. ſopra le riferme de' Magiſtrati da non prenderſi.*

CHE neſſuno poſſi prendere riferme ne' Magiſtrati, ſe non con participatione di tutta la Generale Adunanza, e ciò ſtabilirono oſſervarſi inviolabilmente da' Signori Giurati.

Che in avvenire, inherendo alli decreti altre volte fatti, non ſi poſſino impreſtare gl' Arazzi ſenza ordine della generale adunanza, e l'oſſervanza del preſente devaſi ſpecialmente giurare dalli Sig. primo, e ſecondo Mercanti pro tempore, e promettere l' oſſervanza del medeſimo à tenore degl' altri decreti ſopra ciò fatti.

## *Decreto fatto il dì 2. Agoſto 1681.*

CHE in avvenire in occaſione di ſuppliche ſenza nomi non ſi debbano ammettere, ſe quelle non ſaranno note almeno à due Signori Conſoli.

## *Decreto fatto per cauſa dell' offitio del Sig. Computiſta il dì 4. Settembre 1698.*

CHE in avvenire l' offitio del Sig. Computiſta debba durare ſolamente un' anno da eſtraherſi à ſorte dal buſſolo à queſt' effetto da farſi, & in occaſione del Lume di S. Coſtanzo ognanno fare l'eſtrattione per un'anno con li ſoliti honori, e peſi, e li Sig. Giurati abſenti dalla Città, e ſuo Territorio eſtratti per detto offitio ſi debbano rimettere nel buſſolo, & eſtrahere uno che ſi trovarà in Città, e ſuo Territorio, e che quelli entreranno in queſto nobiliſſimo Collegio non poſſino eſſere imbuſſolati ſe non doppò trè anni dal dì del loro ingreſſo, e che queſto decreto non poſſi derogarſi, ſe non che dalla generale adunanza à pieni voti.

### *Decreto fatto ſopra la diſtributione degl' officii di queſto Nobiliſſimo Collegio provenienti dal ſolito Buſſolo di queſta Illuſtriſſima Città fatto il di 28. Febraro 1699.*

DErogando in primo luogo, e revocando tutti, e ſingoli altri decreti, e conſtitutioni, ordinationi, e proviſioni ſopra tal materia in altri tempi ſtabiliti dal medeſimo Collegio, affinche habbi luogo in tutto, e per tutto l'ordine, e forma infraſcritta cioè.

### *Offitii ſoliti diſtribuirſi nel publico Buſſolo della Città agl' Illuſtriſſimi Signori Giurati di queſto Nobiliſſimo Collegio della Mercantia.*

| | |
|---|---|
| ALla prima Porta, che raddoppia Capi numero tre, Code num. due, Conſolati num: cinque. | num. 10 |
| Alla ſeconda Porta, che raddoppia Capi num. tre, Code num: tre, Conſolati num. cinque. | num: 11 |
| All'altra Porta ſuſſequente Capi num. due, Code num. tre, Conſolati num. cinque. | num. 10 |
| Alla quarta Porta Capi num. due, Code num. due, Conſolati num. cinque. | num. 09 |
| All'ultima Porta Capi num: due, Code num. due, Conſolati num. quattro. | num. 08 |
| in tutto num. | 48 |

Ad effetto che detti offitii venghino generalmente à tutti li Sig. Giurati con la Giuſtitia diſtributiva repartiti; pare in primo luogo neceſſario, che avanti la formatione del Buſſolo venghino in ogni triennio dal medeſimo Collegio riempite, & aggiuſtate le Porte, & à ciaſcheduna di eſſe aſſegnato quel numero de Soggetti, che giuſtamente competono per detti offitii; fatta detta diſtributione de' Soggetti per Porta, e data nota in Cancellaria decemvirale ſecondo il ſolito, ſi dovrà venire all'elettione, e nomina di detti offitii nel modo, e forma infraſcritta cioè.

Che ogn'uno de' Sig. Giurati ſia in primo luogo capace, e deva eſſere eletto ad uno di quelli offitii, che tocca per Porta

in modo tale, che devono havere, e godere un'offitio per ciaſcheduno, che più parerà a' Sig. Inſaccolatori, e del medeſimo offitio ne devino eſſer capaci anche li due Sig. Inſaccolatori, che verranno eletti per detto illuſtriſſimo Collegio, benche gl'oſti la legge ſopra di ciò contraria, alla quale in queſta parte tanto ſi deroga.

E perche il numero degl'offitii è, e puol'eſſere ſempre maggiore del numero de' Signori Giurati, però doppò che ciaſcuno di eſſi ſarà eletto ad un'offitio, poſſa eſſere anche capace di conſeguir l'altro, che tocca alla ſua medeſima Porta ad arbitrio de' Sig. Inſaccolatori ſino al numero di due offitii, e non più, compreſovi anche li due Sig. Inſaccolatori come ſopra, mà che non poſſi però godere in un Buſſolo alcuno di quelli officii, che hà goduto nel Buſſolo antecedente, come ſi pratica anche di preſente.

E ſe in quella Porta ſuperaſſero gl'offitii oltre alli due per ciaſcheduno, quell'offitio, che vi fuſſe di vantaggio ſi deva deſcrivere nel Buſſolo in albis per riempirſi poi nel modo, e forma che ſi dirà quì ſotto.

E ſe li Sig. Giurati ſuperaſſero gl'offitii, e che non poteſſero in un Buſſolo tutti godere due offitii per ciaſcheduno, e però quelli, che non haveranno conſeguito in un Buſſolo li detti due offitii, devino goderli nell'altro ſuſſeguente, e così continuare, ſino chè tutti li Sig. Giurati di ciaſcheduna Porta habbino goduto del pari detti offitii.

Per riempir poi quelli offitii, che veniſſero deſcritti in albis, overo quelli, che per li tempi vacaſſero per malatia, morte, abſenza, ò altro legitimo impedimento (ſempre però eſcluſi quelli, che non fuſſero degni, e capaci di goder detti offitii, à tenore, e forma della Matricola, conſtitutioni, & uſo di detto Illuſtriſſimo Collegio, alle quali in queſta parte non s'intenda derogato) ſi debba fare un Buſſolo de' Sig. Giurati per ciaſcheduna Porta, e da quella Porta che vacaſſe l'offitio far l'eſtrattione del Sig. Giurato, il quale così eſtratto debba godere tale offitio (mentre però ne ſia capace) e non habbia goduto, eſſercitato, overo ſia ſtato eletto à detti due offitii, come è ſtato ſopra dichiarato, nel qual caſo ſi debba il ſuo nome rimettere nel buſſolo, & eſtraherne l'altro, che foſſe capace come ſopra. Se poi tutti li deſcritti per quella Porta haveſſero eſſercitato li detti due offitii, in tal caſo devino tutti eſſer per quella Porta capaci, & il primo, che ſarà eſtratto ſia anche, e deva eſſere eletto al det-

to offitio, e quello eſſercitare con tutti gl'honori, e peſi.

Et à finche la ſudetta legge habbi ſempre il ſuo luogo, e ſortiſchi il ſuo effetto, ſtimandoſi verſo tutti profittevole, & utile, che non ſi poſſi mai la medeſima derogare, ſe non dalla generale Adunanza per due delli tre terzi de voti favorevoli, conforme diſpone la ſudetta Matricola.

## *Decreto fatto à cauſa de' ſudetti offitii il dì 28. Febbraro 1702.*

Eſſendoſi reſo difficile l'aggualgliamento delle Porte, che doveva farſi prima della formatione del Buſſolo à tenore del decreto ſudetto, e conſideratoſi, che con modo più facile potrà ogni Sig. Giurato di queſto nobiliſſimo Collegio nel corſo di tutto il triennio godere eguale agl'altri Colleghi il numero degl' offitii, al qual preciſo fine fù fatto il ſudetto decreto.

Che venendo il caſo di qualche ſurrogatione da farſi dagl'Illuſtriſſimi Sig. Conſoli pro tempore, quando alcun Sig. Giurato eſtratto per palla foſſe incapace dell'offitio, o per l'abſenza dalla Città, o per altre giuſte cauſe già dichiarate dalla Matricola, all'ora, & in tal caſo, quando nella medeſima Porta, dove era deſcritto il Sig. Giurato incapace, non vi ſia chi poſſa giuſtamente godere il detto offitio vacante, o per eſſer già ſtato imboſſolato per due officii nel ſacco, o per altre cauſe dette di ſopra, ſi deva all'ora da'Sig. Conſoli fare à ſorte l'eſtrattione d'un'altro Sig. Giurato per la Porta più vicina à quella, dalla quale s'era eſtratto il Sig. Giurato incapace, e ſe ne pure in queſta ſi trovaſſe ſoggetto, il quale giuſtamente, & à tenore de'decreti poteſſe ottenere il detto offitio, ſi doverà fare l'eſtrattione come ſopra dall'altre Porte ſuſſeguenti, finche ſi trovi Soggetto capace, e così praticare in ogni altra ſurrogatione da farſi, finche ogni Sig. Giurato habbi goduto li detti due offitii, eſcludendo ſempre dal godere il terzo offitio qualſiſia Sig. Giutato, finche generalmente tutti li Sig. Giurati non haveranno goduto li detti due offitii per ciaſcheduno, e dandoſi il caſo, che alcuno de'Sig. Giurati reſtaſſero eſcluſi dalli ſudetti due officii in tutto il triennio, ſi dovrà in tal caſo dal Notaro di queſto nobiliſſimo Collegio dar nota de'loro nomi al Sig. Capo ſaccho, acciò ſiano preferiti à tutti gl'altri nell'eſſere imbuſſolati per il nuovo triennio per li detti due offitii.

Ri-

## *Riforma di decreto ſopra il Sig. Prior Laico, e ſuo offitio fatta il di 2. Agoſto 1704.*

CHE l'offitio del Sig. Prior Laico debba ſolo durare un'anno, & eſtraherſi al Lume di S. Domenico 2. di Agoſto ogn'anno dal buſſolo à tale effetto fatto, e quello eſſercitare per un'anno con tutti gli honori, e peſi ſoliti, con queſto però, che ſe alcuno Sig. Giurato foſſe abſente da queſta Città, e ſuo Territorio, ſi debba quello rimettere nel buſſolo, & eſtraherne un'altro, che ſi trovarà in queſta Città, e ſuo Territorio, e che quelli, che entreranno in queſto nobiliſſimo Collegio non poſſino eſſere imbuſſolati, ſe non doppo tre anni dal dì del loro ingreſſo, e potrebbe darſi il caſo nel fare l'eſtrattione dal ſudetto buſſolo del Sig. Prior Laico, di eſtrahere quello medeſimo eſtratto per l'offitio di Sig: Computiſta, in tal caſo debbaſi quello rimettere nel buſſolo, & eſtraherne un'altro, poiche quello, che ſarà eſtratto per l'offitio di Sig. Computiſta non poſſa ne debba godere l'offitio di Sig. Prior Laico.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google